

IN SACRIFICII MISSÆ

RITUS ET CÆREMONIAS

PRÆSERTIM CANONEM

BREVIS AC LUCULENTA

Et ad pietatem utilis

EXPOSITIO.

PER R. P. F. v. V.



FLORENTIÆ MDCCLXXIII.
TYPIS REGIÆ CELSITUDINIS
APUD CAJETANUM CAMBIAGI

Superiorum adprobatione.

NOVISSIMUS OPUSCULI

EDITOR

AD LECTOREM.



Ogitanti mihi quidnam potissimum adiuvare possit Sacerdotes ad excellentissimum Missæ Sacrificium ea devotione, ac sanctitate celebrandum, quæ, quantum humana imbecillitas patitur, appareat digne Deo; in mentem venit id non difficili labore assecuturos, si recitanda, & gerenda in tanti Mysterii celebratione probe intellectu perspexerint, & voluntate, ac corde complexi fuerint. Enim vero cum dubitandum minime sit quin Sancta Dei Ecclesia divino semper spiritu illustrata, & incensa ritus, ceremonias, orationes,

ac verba omnia ſtatuerit, quibus in hoc maximo opere perficiendo utitur, conſequens eſt ut qui divina, ac profundiſſima ſenſa, quæ tum in vocibus, tum in actionibus Sacræ Liturgiæ reconduntur, animum ſerio applicuerint, eiſque congruos affectus adiunxerint, ejuſdem divini ſpiritus ardore repleti Oblationem Deo gratiſſimam offerent, ac vere Sancta Sancte miniſtrabunt. Hinc certe fiet, ut interior devotio, reverentia, conſcientiæ puritas ſingularis, fides, caritatis fervor mirum in modum excitentur, & excitata adaugeantur, ac dilatentur, in flammaſque erumpant eodem Spiritu Sancto afflante; cujus alitus prunas ardere ſuaviſſime facit, poſtulatque pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Fiet inſuper, ut interior quoque devotio, reverentia, ac optima corporis, ſenſuumque omnium compoſitio, quaſi comites indiviſi accedant; unde cor, & caro Sacerdotis exultent in Deum vivum.

Pro-

Procul tunc erunt a rem divinam facientibus negligentia, torpor, ignavia, oscitantia, & ad aliena distractio, a quibus maxime abhorret tanti Mysterii Sanctitas, & excellentia. Procul neglectus ille execrabilis sacrorum rituum, & ceremoniarnm, quas Sancta Ecclesia tum ad incruenti Sacrificii decorem, & majestatem, tum ad vivam cruenti repræsentationem pro nobis a Christo in ara Crucis oblati (quod substantialiter est idem cum incruento) religiosissime servandas edixit, & quae sine peccato violari absque ulla dubitatione non possunt. Procul illa Celebrantium irreligiosissima, ac impudentissima praecipitatio aliquando etiam a Sacris Canonibus sub lethali culpa proscripta, ac toto coelo distans a Divinissima actione, in qua agitur de summa rei hoc ipso, quod de maxima Dei Gloria, & de animarum sempiterna salute agitur, & quae piorum mentes graviter offendit, atque in in-

gens ſcandalum vertitur puſillorum. Procul denique tantus languor, hominiſque evagatio, oculorum, & linguæ effrenata licentia, omniſque prorſus non dicam ſcurilitas, ſed quæcumque cordis levitas, & inconſideratio: quæ tamen omnia, proh dolor! ſæpiſſime uſuvenire intuemur, & ab univerſo Catholico Clero vehementer concupiſcimus eliminari. Utinam hæc omnia bene ſaperent, & intelligerent Sacerdotes! Utinam omnes ad Altare bene agerent cum Jeſu; quandoquidem, ut cuidam ait irreverenter ſalutis Hoſtiam immolanti eximius ille Sacerdos Joannes Avila, *Boni Patris* (addas, *& Bonæ Matris*) *eſt Filius*. Omni quidem tunc contentione mentem, & affectum accomodarent ad ea, quæ proferenda, & agenda ſunt in Venerabili Sacrificio, per quod, & in quo Bonus Jeſus iterum, atque iterum traditur in manus eorum vel grandi honore, ac voluptate afficiendus per eos, & ab illis, ſi bene;
vel

vel graviſſima contumelia, ac amaritudine, ſi male tanta Res peragatur. Hoc zelo, ni fallor, adactus en vobis exhibeo, fratres mei Sacerdotes, ſæpius legendum, ac volutandum libellum hunc, meo quidem judicio ad vota optimum, a R. P. Franciſco van der Veken docto, & pio Sacerdote conſcriptum, fortuito, quin potius divinæ Providentiæ conſilio ob meos oculos delapſum, quem recudendum curo, ut multorum manibus teratur, multiſque adiumento ſit, ut ſancte perficiant opus, quod aptum eſt, ſi convenienter exerceatur, omnes ad ſanctitatem adducere. In eo breviter, ſed nervoſe, & efficaciter ad ſupernum lumen, fervidamque devotionem excitandam invenietis qualis ſit Dei, & Eccleſiæ Spiritus in rebus, ac verbis Miſſæ latens, præſertim in iis, quæ ab oblatione materiæ uque ad expletam Comunionem occurrunt: & qua ratione ſpiritui hujuſmodi conformari valeamus,

ardentesque stimuli addantur nobis, divina favente gratia, quatenus sacrum facientes hoc unum spectemus, ut soli Deo omnis honor, & gloria, ingensque bonorum, ac meritorum cumulus animabus nostris, ac cunctis gentibus inde proveniat. Quod ut prospere cedat, sanctificantem spiritum enixe rogo, & obtestor, dicamque ex præcordiis meis cum omni Populo Sancto Dei: fiat fiat.

AU-

AUTHORIS PRÆFATIO.



Agnus in Bœtica Ecclesiastes, & vitæ spiritualis Magister Joannes Avila, cum ex familiaribus didicisset, quendam recens Sacerdotio initiatum immatura morte decessisse percunctatus est illico, an aliquando sacris operatus fuisset? respondenti vero, semel duntaxat, sententiam hanc omni memoria dignam subiecit, Multum defert ad Judicem. *Atque ita sane se res habebat: redditurus enim erat rationem negotii a se gesti, inter omnia gravissimi, quæ pro divinæ Majestatis gloria, & publica privataque mortalium salute administrari ab hominibus possunt. Dicturus erat causam, qua animi corporisque puritate, qua attentione & reverentia obtulisset æterno Patri in sacrificium corpus & sanguinem unigeniti Filii sui: qua san-*

ſanctimoniæ dignitate ſuſtinuiſſet perſonam ſummi æternique Sacerdotis JESU *Chriſti: quid peregiſſet in Eccleſiæ, imo totius Uneverſitatis bonum, legatione pro ea functus ad Deum? An forte turpiſſima prævaricatione, qui ad mundum expiandum miſſus fuerat, novo eum ſcelere impiaſſet? Unde alioquin inter Chiſtianos tot bella, populorum clades, everſiones provinciarum, aliaque irati Numinis argumenta: quod tamen per placabilem illam Hoſtiam vel ſemel oblatam, conciliare poterat, & pro officio debebat?*

Atque hæc, Chriſtiane Lector, quia minime ignoras, quantum, obſecro, ad ſupremi Judicis tribunal eos cenſes perlaturos, qui non ſemel duntaxat, ſed in dies ſingulos, ad aras litant? Exclamabis fortaſſis: ob vere ſapientes Antonios, Hilariones, Franciſcos, qui munus Sacerdotale maluerunt in aliis venerari, quam in ſeſe ſuſcipere! Quanto tatius eſt, pro ſuis quemque delictis offerre Deo ſacrificium ſpiritus contribulati in ara cordis,

dis, quam pro totius mundi peccatis, in altari etiam Angelis formidando, grandem illam victimam immolare!

Sed non ideo hæc adduxi, ut in primo statim limine, ad munus Sacerdotale vocatos ab eo suscipiendo, vel administrando deterream: absit a me illud (a): Peccatum grande nimis coram Domino, ut retraham homines a sacrificio Domini. *Ab illo, inquam, sacrificio, in quo non animantium cœde & sanguine honori divino minime respondentium, sed incruenta oblatione illius hostiæ, quæ sola ob infinitam suam præstantiam tanta Majestate digna existit, placatus Deus bonis cœlestibus mundum implet, vivis mortuisque solatia præbet.*

Verum eo solum hæc spectant, ut moderatus timor, qui tum alibi, tum præcipue in religiosis sacrisque actionibus commendatur, dicatos Deo mystas ad debitam curam industriamque sollicitet: qua sui officii magnitudinem considerantes sanctissime & re-

(a) 1. Reg. 2.

ligiosissime illud obire contendant. Ut enim dementis est temeritatis irreligiose in aras irruere, & Sancta non sancte tractare: ita nihil magis consultum, quam Sacerdotem divinitus constitutum, ea qua par est animi religione, diebus etiam singulis divinissimum Missæ sacrificium conficere.

Neque est, o Sacerdos, cur ab aris abstineas propter hostiæ majestatem: haud enim solus eam offers, sed principem in eadem offerenda Sacerdotem comitaris mysteriis tantis parem, ipsum scilicet Christum. Is Sacerdos simul & Victima indignitatem tuam supplet, infirmitatem sublevat, suaque in ore tuo ponit verba, quæ apud æternum Patrem non gratiosa solum, sed etiam rata efficaciaque futura certo prænovit.

Nec suo apud Deum Legato Ecclesia deest, quippe quæ suis quoque verbis gratiam sacrificanti adiungit, omniumque cæremoniarum satis gnara, quibus in aulam cœlestem summi infimique admittantur, eas tibi præscribit, quas si legitime observes, ir-

irreligionis nunquam, aut prophanæ, ut sic loquar, rusticitatis damnaberis. Quin etiam ne in tanta negotiorum mole ac varietate, quæ pro publica privataque salute apud supremum Principem proponenda, & feliciter per pacificam illam ac propitiatoriam victimam transigenda committuntur, hæsites fluctuesque; quo videlicet ordine & delectu, quo tempore & modo quodlibet geras: ecce iterum Ecclesia, tanquam provida parens, isthæc omnia in suas classes temporaque digessit; multoque Matre Zebedæorum sapientior, aptissima verba formulasque præivit, quibus pie usus exprobratoriam illam repulsam, Nescetis quid petatis (*a*), *minimè extimescas.*

Hoc unicum tuarum est partium, ut postquum animum ab illis omnibus expurgaveris, quæ purissimo sacrificio obeundo repugnant; præscriptas à Christo & Ecclesia precationes ac cæremonias non more præconis è prætoria tabula recitantis, percurras

(*a*) Matth. 20.

ras, sed debitam ubique attentionem adferas, affectumque coniungas. Et enim, ut de regum Rege Probpeta regius canit, (a) Honor Regis iudi-ium diligit: *nec tantum iudicium Ecclesiæ Principum, sanctissimos ritus Numini venerando convenientes sapienter instituentium; sed cæterorum quoque, ac Sacerdotum inprimis, ut non temerè cæcoque impetu, sed deliberatè & ex animi sententia illos exerceant.*

Atque hic tandem præsentis libelli est scopus, ut ad aram in divina Liturgia facturis rationes quasdam, excitandæ devotioni idoneas, compendio proponam: easque non aliunde accersitas, sed ex ipsis precibus ac cæremoniis natas, quas Christus Dominus, religionis supremus Magister, eiusque fidissima interpres Ecclesia *sacrificanti præscribunt. Quod enim Patres in Tridentino Concilio de Canone Missæ definiunt, nihil in eo contineri*, quod non maxime sanctitatem ac pietatem redoleat, mentesque

(a) Psal. 98.

que offerentium in DEUM *idem de cæteris Missæ partibus e... mare debemus, cum pari auctoritate posteriorum saltem Pontificium in Missali ab iis recognito stabiliatur.*

Quapropter ad sanctam piamque actionem, mentisque in Deum elevationem, id solum restat, ut quæ sancta piaque esse constat, eligantur, sicut Philosophi loquuntur (a), propter id ipsum, *convertendo mentis oculos in sanctitatem & pietatem eorundem, illamque sui gratia prosequendo. Quorum primum, cum ad judicium atque attentionem pertineat; alterum innumeram piarum affectionum varietatem comprehendit, qua in suis Ministris circumdata Ecclesia rite ac decenter coram supremo Rege apparere possit.*

Sed, ne immemor instituti compendii æquo longius proloquar, filum abrumpo, & rem ipsam aggredior. In qua inter antiquiores facem mihi præcipue prætulerunt Gabriel Biel & Franciscus Titelmannus *in Canonem*

(a) 2. Ethic. c. 4.

-issæ; inter recentiores Cardi-, Bellarminus, & Joannes Baptista Scortia *de sacrificio Missæ. Quibus si quid ex me aliisve adiecero, benevolus Lector æqui bonique consulere dignetur: & si forte ad pietatem profuerit, mei vel semel, non ausim petere in sacrificio, in precibus meminisse.*



IN

IN SACRIFICII MISSÆ RITUS, ET CÆREMONIAS EXPOSITIO.

De Introitu Missæ.

PRoxime ante Missam, dum sacris vestibus Sacerdos induitur, memor erit doctrinæ Apostolicæ (a): *Induimini Dominum Iesum Christum*, dabitque operam, ut non externo tantum habitu & officio, sed moribus quoque, virtutibusque internis Christo se similem exhibeat. Iuvabit eum in finem attente recitare orationes tunc præscriptas, atque etiam a Deipara Virgine, Sanctisque Patronis spiritualia animæ ornamenta emendicare.

Cum jam indutus ad Altare procedit, meditabitur Christum, qui e sinu Patris veluti divino quodam sacrario egressus est: ut se eo modo pro salute nostra in Ho-

(a) *Rom.* 13.

Hostiam offerret. Exorditur a signo Crucis: si enim a Divini Nominis invocatione auspicandæ reliquæ orationes & actiones nostræ; quanto magis hæc omnium gravissima & excellentissima? Tum alterna voce cum Mistro legit Psalmum (*a*), *Iudica me Deus*, anticipato ejus versu, *Introibo ad Altare Dei*, quo quid acturus, expressius admonetur.

Porro David eo in Carmine præcipue petit, ut liber ab exilio & incircumcisorum atque infidelium consuetudine (cum quibus versari necesse habebat) Hierosolymæ ac tabarnaculo restituatur, ibique lætitia, quasi reviviscens, in cithara Deo confiteatur seu laudes dicat. Quæ in rem præsentem commode transferentur, si primo ad versum *Iudicæ* petat sacerdos liberari aut præservari ab exilio Cordis: quod subinde sacrificantem derelinquit, & Dæmonis fraude in turbis cogitationum non sanctarum, prophanorumque affectuum, alia cuncta agit, quam quæ officio sacrosancto conveniant. Deinde ad versum *Emitte*, animum advertat ad *Montem*, *&* *Tabernaculum*. Loco montis Sion repræsentet sibi Calvariæ montem, tanquam proprium commemorandæ in hoc Sacrificio Dominicæ Passionis: loco quoque tabernaculi Mosaici, in quo erant Arca, & Manna hujus Sacramenti figuræ, altaro

(a) *Psalm.* 42.

re Chriſtianum conſideret inſtar divinioris longeque auguſtioris tabernaculi; quippe quod Veritatem per iſta ſymbola adumbratam contineat. Deduci autem huc poſtulet a Dei *luce, & veritate*: ut divina gratia illuminante, interior ſenſus cum externo Sacrificio cæremoniiſque concordet. Denique ad verſum *Confitebor*, petat a Deo illam animi ſerenitatem, lætitiam, tranquillitatem & pacem, quæ tum aliarum functiones virtutum perficit, & ornat, tum præcipue actus religioſos, & Sacrificium decet. Dignum eſt conſideratione, quod ex S. Hieronymo refert Gratianus (*a*): *Melior eſt quinque Pſalmorum decantatio cum cordis puritate, & ſerenitate, & ſpiritali hilaritate, quam totius Pſalterii modulatio cum anxietate cordis & triſtitia.*

Pſalmum hunc, ſollemni Sanctiſſimæ Triados epinicio concluſum, excipit invocatio divini auxilii: *Adiutorium noſtrum in nomine Domini:* quo nempe Omnipotens, qui fecit cœlum & terram, ſupra conditionem aggravantis corporis, animum noſtrum ad debitam tanto Sacrificio attentionem, reverentiamque attollat. Cum autem, teſte Sapiente (*b*), *juſtus prior accuſator ſit ſui:*

(a) *de Conſecr. diſt.* 5. *c. non mediocriter.*

(b) *Proverb.* 18.

ſu. : in hoc Miſſæ introitu præcipitur Confeſſio generalis. Quæ jure facienda cum profunda inclinatione: ut hoc ritu teſtemur noſtram indignitatem, & vilitatem maximam, tum ex naturæ conditione, tum præſertim ex peccatis contractam. Valet hæc confeſſio ſive ad excitandos in nobis pios pœnitentiæ motus: ſive etiam ut (juxta multorum Theologorum ſententiam) leviores forte culpas ex opere operato relaxet. Confitemur vero non Deo ſoli, ſed etiam Sanctis, fratribuſque Chriſtianis: quia qui Deum offendimus, amicis quoque ejus diſplicentiam, &, quantum eſt in nobis, triſtitiam creamus. Quemadmodum per veram pœnitentiam, non tantum Clementiſſimum Patrem, ſed cœleſtes quoque Spiritus (a), cæteroſque Sanctos exhilaramus.

Poſt hæc pro mutua peccatorum remiſſione alternis Deum rogant Sacerdos & Miniſter, ac quædam e Pſalmis ſubiiciunt, quæ animos erigant in divinæ miſericordiæ ſpem: adeo ut Sacerdos jam audeat ad Altare adſcendere, illudque in ſignum reconciliationis cum Deo & Sanctis, in medio, ubi Sanctorum Reliquiæ quieſcunt, deoſculari. Inde vero ad ſiniſtrum cornu, quod Iudæam deſignat progreſſus, divinam legem laudemque annunciat: quemadmodum electo

(a) *Luc.* 15.

cto Judæorum populo, quem præ reliquis divina Beneficentia veluti in dextera locarat, primum Christus prædicavit.

§. II.

Kyrie eleison, & Gloria in excelsis.

QUia initio Orationis nihil utilius imploramus, quam misericordiam Dei, a qua sola omnis boni principium peccatores speramus; Sacerdos à cornu dextro ad medium altaris deflectens, ibique stans & in cœlum erectus, emittit illam supplicis animi vocem *Kyrie eleison*, quæ Latine redditur, *Domine miserere*. Repetitur hæc sexies, ter vero *Christe eleison* admiscetur; ut sic invocentur singulæ Sanctissimæ Trinitatis Personæ, & propter cæterarum cum eadem natura identitatem, ter singulæ. Singulari vero nomine Secunda Persona honoratur, quae singulariter pro nobis naturam assumpsit. Visum est Ecclesiæ Græcas istas voces, sicut & alibi Hebræas Latinis admiscere; ut hac vocum communione, qua Latinos, qua Hebræos & Græcos fateatur unum esse populum Dei, uti linguarum, ita animorum fideique vinculo connexum.

Hymnus *Gloria*, qui suis temporibus sequitur, duabus constat partibus. Prima, eaque brevior, è cœlo petita authe-

thores habet beatos Angelos, qui nascenti Christo accinuerunt, *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*a*). Alteram multo proliziorem homines addidere, quippe longe magis pro Incarnationis beneficio ad divinas laudes obligati: *nusquam enim Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit* (*b*). Accedit quod superiorum Mentium proprium sit ea paucis complecti, ad quæ exprimenda inferiores pluribus verbis & conceptibus egent.

Hujus hymni pars prior duplicem exprimit tam ipsius Incarnationis, quam præsentis Sacrificii finem: unum primarium, qui est Dei gloria; alterum secundarium, qui est pax, & salus nostra. Verba ista obscuriora alterius partis, *gratias agimus tibi propter magnum gloriam tuam*, ad supremum quemdam affectum Charitatis erga Deum accommodantur. Cumque cætera sua se explicent claritate, in illis tantum, quæ Christo Domino acclamamus: *Quoniam tu solus sanctus &c.* animadvertet Theologus: dictionem *solus* tribui Christo, non ratione personæ, (sic enim a Sanctitate illa excellenti, & imparticipata, quæ soli Deo tribuitur, excluderemus Patrem, & Spiritum Sanctum) sed

(a) *Luc.* 2.
(b) *Heb.* 2.

sed ratione essentiæ, sive naturæ, ut sensus sit, nulli naturæ convenire Sanctitatem illam, Dominium, Majestatem, quam ei, quæ, est Jesu Christi, etsi aliis personis conveniat.

Ferunt B. Gasparem Bonum ex Ordine Minimorum, verba ista, *Adoramus te, quoniam tu solus Sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus, Iesu Christe*, semper habuisse in corde, semper in ore: adeo ut ducenties per diem repeteret; atque hinc inter familiares vix alio nomine, quam *Tu solus Sanctus* compellaretur. Nimirum Jesu amor apud illius animum obtinuerat, ut hi suo dilecto gloriosissimi tituli eum mirifice oblectarent: quare nunc debitos gratulando, nunc ab omnibus agnosci exoptando, nunc infima submissione deferendo satiari non poterat. Utinam Sacerdotes vel semel in Missa, quando ex Ecclesiæ præscripto prædicta verba exprimimus, istum viri religiosissimi affectum imitemur!

§. III.

De Collectis, Epistola, Evangelio, & Symbolo.

POstquam Sacerdos per Dei laudes ejus quodammodo benevolentiam captavit, ad orandum se convertit, præmis-

missa sollemni salutatione, *Dominus vobiscum*. Sed ecce quam apte post orationes nostras subiicitur Dei sermo, sive per servos ejus Prophetas & Apostolos in Epistola, sive per ipsum Dei Filium in Evangelio expressus! Ut videlicet moneamur, si velimus Deum nos exaudire orantes, exaudiamus eum docentem & præcipientem, faciamusque quod ipse vult nos facere, si nostra desideria ab eo impleri cupiamus, juxta illud Scripturæ (a): *Si manseritis in me* (per Fidem & Characterem) *& verba mea in vobis manserint*, (per doctrinæ meæ & præceptorum observationem), *quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis*.

Sacerdos itaque, dum Epistolam vel Evangelium legit, ad utrumque attendat, *non ut verbum hominum, sed sicut est vere verbum Dei* (b), e cœlo nos alloquentis, instruentisque doctrina vitæ, & ad omne genus virtutum inflammantis. Legat ea attentione, & reverentia, qua par est, ut divina oracula homo excipiat. Neque lectorem tantum vel (c) *auditorem* divinæ eruditionis, sed *factorem* quoque se exhibeat, annotando semper aliquid quod vitæ suæ ac moribus ex cœlesti doctrina componendis

(a) *Ioan.* 15.
(b) 1 *Thess.* 2.
(c) *Iacob.* 1.

dis conveniat. Id in Epistolæ lectione nos monent applicatæ ad librum manus, & velut operi admotæ: Ad Evangelium vero, quod (teste Augustino) *inter omnes divinas authoritates, quæ sanctis Litteris continentur, merito excellit*, plures cæremoniæ adhibentur. Ac primo petit Sacerdos puritatem cordis, & labiorum, ne rem sacram prophanus contingat. Deinde signum Crucis imprimit libro, ut indicet in eo contineri vitam, mores, prodigia, legemque Crucifixi. Tum eodem signo se munit in fronte, ore, pectore. In fronte quidem sede pudoris, ne erubescat Evangelium. In ore, ut illud aliis prædicet. In pectore, ut idem fideli corde semper conservet. Denique perlecto Evangelio, infigit osculum libro, ut tam charæ, quæ in eo continetur doctrinæ, animam quodammodo affigat, & mancipiet.

Legitur porro Evangelium ad cornu sinistrum Altaris, quia Judæis, quos per dexteram designari diximus, Evangelium repellentibus, ejus prædicatio translata est ad *Gentes (a)*. Præcedit lectionem spirituale canticum, quod Graduale dicitur, ut per spirituales affectus, qui in eo continentur, ad doctrinam Evangelicam melius disponamur. Diebus vero sollemnioribus Evangelium excipit recitatio Symboli: tum ut decla-

(a) *Act.* 13.

retur quisnam Evangelium a Christo, & Apostolis prædicatum secutus sit fructus: tum ut impleatur illud Apostoli (*a*): *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. Pro fructu autem spirituali, recitabit illud Sacerdos distincte & devote, & ad ea præsertim attendet, quæ in Sacrificio usui veniunt, ut ad divinam omnipotentiam, divinam Christi humanamque naturam, passionem ejus, resurrectionem, aliaque in quorum fide pleraque fundantur, quæ in principalioribus Missæ partibus prosesequemur.

Poterit vero ad invisibilem Christi in Sacramento præsentiam speciatim reflectere quando Deum non solorum *visibilium*, sed etiam *invisibilium* Creatorem agnoscit. Quare tunc incipiat animum paulatim supra sensus erigere, cogitando rerum veritatem istorum limitibus non circumscribi: imo eo veriora quæque, & nobiliora existere, quo magis sensuum nostrorum iudicium, ac plebejam veluti censuram transcendunt. Quod primum omnis vitæ spiritualis principium, in hoc maxime spirituali Sacrificio, ante oculos habendum.

CA-

(a) *Rom.* 10.

CAPUT I.

De Offertorio.

NOtum est, quam Missæ partem Offertorium designet. Multi nominis rationem petunt a muneribus, quæ tunc in altari juxta antiquum morem offeruntur a populo. Alii magis respiciunt ad actionem Sacerdotis tunc præparantis hostiam, variisque precibus Deo offerre incipientis. Quam posteriorem opinionem amplector: tum quia magis deservit scopo pietatis, ad quem præcipue hoc Opusculum refertur, tum etiam quia verior apparet. Quidquid enim fuerit de prima nominis impositione, quando forsan illæ Sacerdotis preces nondum erant ab Ecclesia institutæ: cum jam tamen non solum oblatione populari communiores, sed etiam principaliores existant, haud videtur dubitandum, quin saltem moderni vocabuli usus eas potius spectet. Idem magis declarabunt sequentes Paragraphi.

§. I.

Quem ob finem institutum Offertorium?

DUulicem finem reperio: unum imitationem veteris legis, in qua victimæ, priusquam immolarentur, mul-

tis cæremonijs dedicari solebant: alterum magisque præcipuum imitationem Salvatoris nostri Jesu Christi. Cum enim tota Missa, communi consensu fidelium, viva quædam repræsentatio tam vitæ quam mortis Christi existat, non decebat illam partem prætermitti, qua se, etiam ante passionem, Patri suo æterno in hostiam obtulit: & quidem frequentissime, aut potius semper, continuando oblationem sui, quam jam inde a primo suæ conceptionis momento incepit. Teste enim Apostolo (*a*), ingrediens mundum ita Patrem allocutus est: *Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptesti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt: Tunc dixi: ecce venio: in capite libri scriptum est de me: ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* Ac si diceret: quia video insufficientiam antiquorum sacrificiorum ad Te digne colendum, & pro peccatis placandum; scio vero me utrumque præstare posse sacrificio corpoporis mei, quod eum in finem ex tua voluntate assumpsi: ecce me paratissimum, tam ad illud, quam ad cætera omnia, quæ Lex & Prophetæ de me prædixerunt. Neque erat ratio, cur ab actu tam heroico unquam desisteret: sciebat namque eum Patri gratissimum esse, adeo ut Apostolus (*b*) nostram illi redemptio-

(*a*) *Heb.* 11. (*b*) *Ibid.*

ptionem ac justificationem speciatim adscribens, in ea nos voluntate sanctificatos affirmet: nulla quoque necessitas ad eundem subinde intermittendum cogebat, quippe qui non a sensibus & phantasmatis, sed sola scientia per se infusa dependeret, ideoque pari facilitate in somno atque in vigilia exerceri posset.

Sacerdos itaque hanc Missæ partem aggressurus, illud perfectissimæ oblationis exemplar sibi ante oculos ponat, idque quo melius imitetur, cæterosque etiam religionis actus, qui ferè perpetui in sanctissimo hoc Officio occurrunt, majori fructu obeat, operæpretium erit generalem illorum praxim præmittere.

§. II.

Quæ praxis servanda in oblatione aliisque actibus religiosis?

QUod sapienter dixit D. Augustinus (*a*): *Sacrificium visibile invisibilis sacrificii esse signum*, illius scilicet spiritualis sacrificii, quo, ut explicat D. Thomas (*b*), anima seipsam Deo offert; idem de visibili adoratione, oblatione, aliisque religiosis actibus dici potest: adhoc enim sunt instituti, ut sub exteriori aliqua forma interiores affectus si-

(a) *l.* 10. *de Civit. c.* 5.
(b) 2. 2. *q.* 85. *a.* 2.

ſibi accommodatos deſignent. Abſque his ſi fiant, (*a*) *corporalem* quidem *exercitationem per ſe parum utilem* habebunt: ſed deſtituentur illo *Spiritu ac Veritate* (*b*), quibus Patrem a genuinis ejus cultoribus adorandum ipſa Veritas pronunciavit.

Idque ut clarius pateat, ex communi Theologorum doctrina ponere debemus Religionem eſſe virtutem, quæ inclinat ad debitum cultum Deo exhibendum. Cultus autem, ſive reverentia, ſive honor divinus, habet duo: alterum materiale, quod eſt quodvis officium, de ſe aptum ad ſignificandum, & conteſtandum, tum exiſtimationem noſtram, quæ ſummæ illi, & immenſæ Numinis excellentiæ conveniat, tum voluntatem tantæ nos Majeſtati, uti par eſt, ſubiiciendi: alterum formale, quod in exercitio utiuſque illius actus per materialem cultum ſignificati conſiſtit. Id porro formale eſt præcipua perfectio, & veluti anima ac ſpiritus totius religionis: illud eſt ſpirituale ſacrificium, quod ſecundum Auguſtinum per alterum illud viſibile ac materiale ſignificatur: in eo denique ſita eſt Veritas, quam tantopere in Patris ſui adoratione Chriſtus commendat.

Quapropter Sacerdos religioſe ſacrificaturus, inprimis intellectui proponat in-

(a) 1. *Tim.* 4. (b) *Ioan.* 4.

infinitam Dei Majestatem, ac supra nos ac quascunque naturas creatas aut creabiles eminentiam; nunc sub conceptu omnipotentiæ, a qua pendet esse creaturarum; nunc sub conceptu infinitæ sanctitatis, clementiæ, aliarumque perfectionum divinarum: quarum memoriam per se satis ingerunt sacræ preces, quas Ecclesia præscribit. Proponat autem non per simplicem levemque apprehensionem: sed per verum ac deliberatum judicium, ac præsertim fidei, qua multo dignius quam per rationem naturalem de divinis sentimus. Deinde voluntate concipiat affectum resolutum & efficacem interminatæ illi Majestati submittendi se in omnibus, cedendo ei ubique, & primas partes deferendo. Quod quia respectu divinæ substantiæ difficile nobis non est: (quis enim nisi prorsus insanus, suam cum divina componat?) fiat intuitu divinæ voluntatis, quæ ejusdem est perfectionis & excellentiæ cum divina substantia: ideoque parem cultum ac venerationem meretur. Divinam igitur voluntatem potiori semper loco cupiat haberi, quam suam: etiamsi fortunarum, honoris, vitæque jacturam facere, aut etiam in cinerem ac nihilum redigi oporteret. Tum denique signum aliquod edat, quo talem animi deliberationem profiteatur.

Porro Ecclesia de signis ad hoc aptissi-

ſimis per totum Miſſæ officium abunde proſpexit; ut quando iubet Sacerdotem, nunc inclinare cervicem, quaſi paratum ad jugum Domini ſuſcipiendum: nunc jungere manus, ac ſi reus eas Judici vinciendas offerret: aliquando genufle- ctere, ut coram tanta Majeſtate ſe minorem agnoſcat. Præcipue verò idem devotæ mentis conſilium repræſentat ipſe actus ſacrificandi, quo Sacerdos ſuam quodammodo obſtringit fidem: ita ſe populumque Chriſtianum pro ſolo Dei nutu atque arbitrio paratos vitam ponere, aut in alium quemvis ſtatum converti, ſicuti ipſe præſentem hoſtiam mactat, aut alium certe in ſtatum immutat.

Atque hæc in genere dicta ad particulares Miſſæ precationes, & cæremonias magis applicabuntur in ſequentibus.

§. III.

De præambulis Oblationis, oſculo Altaris, ac ſalutatione populi.

SAcerdos hanc Miſſæ partem exorditur ab oſculo Altaris, magni amoris honoriſque ſymbolo; tum erga Deum, cui ſoli Altare dicatum; tum erga corpus & ſanguinem Chriſti, quorum, ſub ſpeciebus panis & vini, futurum eſt menſa. Niſi malis cum D. Thoma & aliis per Altare tibi repræſentari ip-

ipsummet Christum: eique per totum Missæ officium tot oscula reddere, in grati animi significationem, pro illo amoris osculo, quo per Incarnationem naturam sibi nostram desponsans, illud Canticorum desiderium implevit, *Osculetur me osculo oris sui* (a).

Tum ad populum conversus, salutatione è sacris Literis petita, & à Viris sanctis beatisque Spiritibus frequentata, precatur ei quam optimè, ac dicit: *Dominus vobiscum*: populus verò salutem reddens, ex Apostolica traditione respondet, *& cum spiritu tuo*. Quæ reciproca salutatio, cum aliis etiam Missæ partibus conveniat, tum huic præsertim est aptissima; non solum ut divinæ gratiæ auxilium ad dignè offerendum imploretur: verum etiam ut hac veluti tessera constet mutua inter Sacerdotem populumque concordia, pulsis procul ex animo omni odio, rancore, dissensione, aliisque sinistris affectibus, juxta Domini præceptum (b): *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te: relinque ibi munus tuum ante altare: & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc offeres munus tuum*. Charitatis quippe usitatissimum signum mutua salutario est.

(a) *Cant.* 1.
(b) *Matth.* 5.

Quam ob causam Sacerdos hic aptissimè eliciet affectum charitatis erga proximum, quo planè omnibus tam hostibus, quam amicis, bene velit, & ex animo precetur: eo, inquam, animo, quem Angelus Gedeoni (*a*), Booz messoribus (*b*), Propheta victori Asæ (*c*), denique Archangelus Deiparæ (*d*), iisdem verbis aliquando testati. Pari affectu respondeat populus: atque ita ambo mutua inter se charitate devincti vota etiam precesque conjungant, *fiduciam habentes, quod quidquid petierint, accipient a Deo* (*e*): quemadmodum Christi fidelibus alterutrum diligentibus, in Epistola S. Ioannis Spiritus Sanctus promisit.

Hanc vero precum animorumque consensionem profitetur Sacerdos, cum non dicit, *Orem*, neque *Orate*, sed se cum populo coniungendo, *Oremus*. Ac tandem ad devotionem accendendam ex Scriptura, ac plerumque Psalterio, tanquam divite omnium piarum affectionum thesauro aliquem versiculum depromit.

§. IV.

(a) *Iudic.* 6. (b) *Ruth.* 2.
(c) 2. *Paralip.* 15. (d) *Luc.* 1.
(e) *Ioan.* 3.

§ IV.

De quatuor modis offerendi.

VEriſſime Tridentinum (*a*), ubi de Miſſæ Sacrificio agit, inde ejus magnitudinem excellentiamque commendat, quod unicum cum ſit, omnium tamen veterum ſacrificiorum perfectionem complectatur. Quotquot igitur in illis inveniebantur differentiæ hoſtiarum, quotquot rationes Deum colendi ac placandi, huic unico omnes inſunt, velut illorum omnium conſummationi, & compendio. Hic Sacrificium Propitiatorium pro expiandis peccatis, Euchariſticum pro beneficiis acceptis, Pacificum pro accipiendis, hic denique Holocauſtum, quod pure latreuticum non niſi in Dei gloriam cedit, perfectiſſime continetur. Ita in nova lege divinæ Sapientiæ placuit tot tamque differentium hoſtiarum exteriorem occupationem tollere, & ſpiritualis fructus abundantia compenſare.

Ad hanc veritatem expreſſe reſpexit Eccleſia in oratione quadam (*a*), *Deus qui legalium differentiam hoſtiarum unius ſacrificii perfectione ſanxiſti*: tacite vero eandem inſinuavit, quando Sacer-

(a) *Seſſ.* 22. *cap.* 1.
(b) *Dom.* 6. *poſt Pent.*

cerdoti sacrificaturo tot prævias oblationes, quibus futurum sacrificium Deo commendet, formisque tam diversis præscripsit.

Quia enim hoc sacrificum vere propitiatorium est (a), *cujus oblatione placatus Dominus, gratiamque & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit*; ideo sequentem orationem: *Suscipe Sancte Pater*, aliasque connexas instituit, quibus præcipue exprimatur oblatio pro peccatis. Sed quia simul est hostia gratiarum & laudis: hinc aliam oblationem subiecit, qua Sanctissimam Trinitatem laudemus pro collatis beneficiis. Infra eam expendemus, hoc verborum initio: *Suscipe Sancta Trinitas*.

Quia præterea idemmet sacrificium ad nova beneficia a Deo obtinenda ingentem vim obtinet; idcirco Ecclesia tertiam in Canone præscripsit: *Te igitur clementissime Pater*, qua divinam pacem, bonaque tam temporalia, quam spiritualia, quæ ad eam conducant, exoremus. Hisce denique non contenta, quartam, ante Consecrationem, oblationem adiecit, qua vis Holocausti mirifice exprimitur: quemadmodum cum ad verba Canonis: *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ*, deventum fuerit, Deo dante videbitur.

§. V.

(a) *Trid. Sess.* 22. *c.* 2.

§. V.

De prima Oblatione, Suscipe sancte Pater.

HAnc Oblationem diximus institutam pro peccatis; idque ejus verba sufficienter declarant. Dirigitur ad Patrem, non ut est nomen Proprium primæ Personæ: sed ut toti Sanctissimæ Trinitati commune, ejus erga creaturas rationales potentiam providentiamque designat. Nihil enim hic ad acceptionem illam notionalem nos cogit: e contrario autem non in proprietate solius primæ Personæ; sed in titulo omnibus communi, nempe suprema excellentia, §. 2 explicata, fundatur debitum supremi cultus, quod creaturæ per oblationem Sacrificii Deo persolvunt.

Porro adiuncta, *Omnipotens, æterne Deus*, & postea, *tibi Deo meo vivo & vero*, illam Dei excellentiam nostramque subjectionem inculcant; sicuti hæc etiam quæ subduntur, *pro innumerabilibus peccatis, offensionibus, ac negligentiis meis*: peccata enim novo titulo subiiciunt hominem Deo; non solum tanquam artifici opus, quod de se nihil habeat: verum etiam tanquam Iudici reum, qui præterea omnibus bonis indignus, malis vero dignissimus existat.

Sa-

Sacerdos itaque ad hæc mentem reflectes, generalem praxim §. 2. traditam, præsenti Oblationi speciatim applicet, atque cum viva fide divinæ excellentiæ in titulis antea enumeratis fundatæ affectum internæ submissionis, ac præsertim de peccatis contritionis conjungat. Cum vero finita oratione hostiam tanquam jam Deo sacram in altari deponit, se quoque in perpetuum ejus Nomini consecratum devotumque agnoscat.

Id superest animadvertendum, quod Saeerdos hic offerat panem, non suæ substantiæ gratia: sic enim non est digna hostia, quam Deus præ sacrificiis antiquæ Legis ad totius mundi expiationem salutemque suscipiat. Sed propter Christi corpus, in quod paulo post per verba Consecrationis convertetur. Quia enim illud est vera hostia, quæ sub ejusdem panis accidentibus in Missa offertur: hic panis per anticipationem dicitur hostia, & tantisper oblationis cæremonias subit, donec illud succedat. Decebat quippe, uti pluribus dictum §. 1. tanto Sacrificio aliquem Oblationis apparatum præmitti: cum vero illum obire non possemus circa victimam ipsam, utpote quæ ante Consecrationis verba, quibus sacrificatur, nobis præsens non esset, restabat ut dicta substitutione utentes, manibus quidem offerremus pa-

nem,

nem, sed animo in veram hostiam mox successuram intento.

§. VI.

De mixtione Calicis.

POst oblatum panem præparatur Calix ad oblationem: quem in finem Sacerdos aquam vino miscet, ita præcipiente Ecclesia, ut monet Concilium Tridentinum (*a*), tres hujus præcepti adferens causas: 1. est, *quod Christum Dominum ita fecisse credatur. 2 quia è latere ejus aqua simul cum sanguine exivit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur. 3. cum aquæ in Apocalypsi B. Ioannis, populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur.* Quam rationem adfert quoque Innocentius III. Cap. *cum Marthæ*, de celebrat. Missarum. Addi his potest, aut potius sub ultima ratione intelligi, confessio Catholica duarum naturarum divinæ, & humanæ in una Christi persona; teste enim Nicephoro (*b*), ideo Armeni mixtionem illam admittere noluerunt, ne hanc duarum naturarum unionem admittere viderentur.

Debet autem ex præscrito Florentini Concilii, aqua vino miscenda esse modicissima: ut significetur, quantili nos simus, si cum divina Immensitate & Chri-

(a) *Seff.* 22. *c.* 7. (b) *l.* 18. *hist. c.* 53.

Christi Domini Majestate conferamur: minores scilicet quam gutta in calice, aut potius in immenso mari. Quod expressit Isaias, cum dixit (*a*), *Ecce Gentes, quasi stilla situlæ reputatæ sunt coram Domino*. Utque præterea insinuetur quemadmodum in liquoribus inter se commixtis major ad se trahit minorem, eumque suis qualitatibus, & conditionibus imbuit, & quodammodo in se convertit: ita eum ex hoc Sacramento sperari fructum, quo magnitudo Christi nostram parvitatem absorbeat, suisque divinis moribus ac veluti vita informet; ut quasi obliti propriæ carnis & sanguinis, & in voluntate, sermone, conversatione similes Christo, dicere possimus cum Apostolo (*b*), *Vivo ego, jam non ego: vivit vero in me Christus*.

Hisce vero mysteriis recolendis aptissime quadrat oratio, quæ inter miscendum recitatur: *Deus qui humanæ substantiæ dignitatem*: in qua celebrantur tres conjunctiones, ac veluti mixturæ prorsus admirabiles: prima in humanæ naturæ creatione: altera in ejus assumptione ad verbum: tertia in ejusdem elevatione ad gratiam, & gloriam. Etenim admirabile divinæ potentiæ, sapientiæque opus est homo, in quo cum mortali corpore copulatur spirtus immortalis, mediaque Angelos inter purumque cor-

(a) *Isa*, 40. (b) *Gal*. 2.

corpus substantia constituitur, supra hoc evecta, ab illis diminuta. Sed opus magis stupendum est Homo-Deus: quippe cujus extrema infinite dissita unio nihilominus omnium maxima substantialiter connectit. Mirandum denique quod justis omnibus est commune, naturæ nostræ vilitatem componi cum divinæ consortio, infimumque nostræ servitutis gradum cum divina amicitia & adoptione: & quod insuper in Beatis cernitur, intellectum finitum potentiæque immersum elevari ad videndum actum purum & infinitum; non per speculum & ænigma, sed immediate sicuti in se est. De triplici hoc nexu videri plura possunt apud D. Bernardum (*a*) Hom. 3. in vigilia Nativitatis Domini, & iterum in sermone de tribus mixturis. Poterit autem Sacerdos, dum orationem hanc recitat, ex mixturis tam admirandis primam & secundam jam factam credere: ad tertiam in se populoque complendam spe adspirare.

§. VII.

De oblatione Calicis, & orationibus adjunctis.

QUia incruentum Legis novæ Sacrificium, licet unicum sit, duabus ta-

(a) *Serm. 2. in Natal. Domini.*

tamen partibus constat: Corpore scilicet Christi sub speciebus panis, ejusque sacratissimo Sanguine sub vini speciebus: hinc Sacerdos interdum unitatis memor, per modum unius utrumque offert, interdum ratione partium oblationem dividit. Atque hac divisione nunc utitur, quando post panem seorsim oblatum, procedit ad oblationem calicis; vel potius oblationem sanguinis, sub vini speciebus mox futuri præoccupat, quemadmodum § 5. de oblatione panis dicebamus. Idque haud leviter confirmatur, quod Sacerdos dicat: *Offerimus calicem salutaris*, id est, salutis ac redemptionis nostræ: hæc namque adscribi non potest calici pro præsenti statu, quem ante consecrationem obtinet, sed pro futuro, quem illius virtute consequetur. Dicit porro in plurali, *Offerimus:* quia non suo tantum, sed etiam populi nomine offert. Precatur denique, *ut in conspectu divinæ Majestatis in odorem suavitatis adscendat:* quorum verborum singula, phrasi in sacris Literis usitata, illam oblationis gratiam apud Deum designant, quam Sacerdos populusque exoptant.

Sequitur brevis precatio, *In spiritu humilitatis*, quæ alia commendatione stimuloque pietatis non eget, quam quod decerpta sit ex longiori illa oratione, quam medias inter flammas fornacis Ba-

by-

bylonicæ concepit Azarias (*a*), Dei causa cum duobus sociis in easdem conjectus, iisque non obstantibus aperto liberoque ore miraculose pronunciavit. Hac vero parte tam suo, quam sociorum nomine divinam Majestatem precabatur, ut loco incensi, oblationis, verique sacrificii, quæ Hebræis in Babylone captivis præstare non licebat, dignaretur suscipere mysticum sacrificium, tam *spiritus humiliati*, & *contriti*, quam præsentis martyrii, ad quod cum sociis se obtulerat: eoque placatus populum afflictum clementer respicere, & ex manibus hostium liberare. Quem affectum facile pius Sacerdos ad rem præsentem accommodabit: non quidem substituendo sacrificium mysticum *contriti cordis* (*b*), in locum veri sacrifici, sed huic conjungendo. Idque eo impensius, quod hæc oblatio adhuc pertineat ad speciem propitiatoriam, de qua diximus §. 4. concludendam demum cum lotione manuum, de qua in §. 9.

Tertia Oratio, *Veni Sanctificator*, dirigitur tum ad omnes personas divinas, tum speciali titulo ad Spiritum Sanctum, cui per figuram dictam a Theologis Appropriationem tribuitur consecratio Corporis, & Sanguinis Christi: haud aliter, quam ipsa Verbi Incarnatio. Id inter alios Patres præclarè annotavit S. Joan-

(*a*) *Dan.* 3. (*b*) *Psal.* 50.

Ioannes Damascenus lib. 4. de Fide Orthodoxa, cap. 14. ubi, postquam ostendit ea, quæ naturam superant, in Spiritus Sancti operationem referri, hæc subdit: *Quo tandem modo fiet istud? ajebat sancta Virgo: quoniam virum non cognosco. Respondit Archangelus Gabriel: Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Tu quoque nunc quæris: quomodo panis corpus Christi, & vinum cum aqua conjunctum sanguis Christi fiat? Tibi item respondeo: Spiritus Sanctus supervenit, eaque efficit, quæ orationis facultatem ac mentis intelligentiam excedunt*. Hunc igitur omnis sanctificationis fontem præsenti oratione imploramus, ut suis potentiæ ac bonitatis gressibus advenire dignetur, & non solum sacrificium jam præparatum perficere, sed sua etiam erga nos benedictione complere. Dicitur autem *Sancto* ejus *nomini præparatum*: quia honor, & gloria Sacrificii soli Deo defertur.

§. VIII.

De signo Crucis.

IN postrema oratione Sacerdos ea, quæ obtulit, Cruce signat, ut Deo repræsentet Christi merita, quæ in Cruce per mortem consummavit. Hæc enim erat con-

conditio, sub qua Dominus per Isaiam prædixit voluntatem suam in Christi manu dirigendam (a): *Si posuerit pro peccato animam suam*. Quam conditionem jam impletam exhibemus, quoties illud salutis signum formamus: ideoque cum fiducia Deum rogamus, ut nobis postulata concedat: atque si syngrapham exhiberemus, qua se Filio ad id nobis præstandum obligasset.

Atque hæc est causa, cur toties in sacrificio repetatur hoc signum: præterquam quod sic protestamur nos cultores esse Crucis & Crucifixi imprimis amantes: hanc enim rationem reddidit Tertulianus (b), cur olim Christiani manibus in formam Crucis expansis orarent.

Sed quid, inquies, mysterii in numero: cur nunc semel, nunc ter, quandoque etiam quinies Crux exprimitur? Video multos id referre ad varias partes, causas, instrumenta Passionis Christi: quorum pietati ac sapientiæ nihil penitus detractum volo. Sed ne tam multis Lectoris memoriam onerem: iis prætermissis communissimam simul ac memoratu facillimam (quidni dicam pietati aptissimam?) rationem propono. Crux efformatur semel, ut divinæ naturæ unitatem repræsentet: ter, ut Personarum trinitatem: quinies, ut totidem Christi plagas grato animo recolamus.

Sunt

(a) *Isa.* 53. (b) *de exhort. Martyr. c.* 8.

Sunt qui ad tres Cruces à Deo petant totidem virtutes Theologicas: ad unam Crucem, pro illa unica supplicent virtute, cui conquirendæ peculiari consilio studioque incumbunt: ad quinque, pro quinque sensuum custodia. Quidni Sacerdos ex tot signis salutiferæ Crucis, vel unicum impendat hostibus suis, omnibusque cum quibus aliquando simultatem gessit? ut nimirum eo signo omnem iis iniuriam offensamque condonet, quo Deus per Christum mundum sibi inimicum reconciliavit? Præivit præclaro exemplo, non quidem Sacerdos, sed Francorum Rex Ludovicus XII. Quod refert Spondanus in suis Annalibus ad Annum Christi 1498.

§. IX.

De Lotione Manuum.

QUI legerit quantam olim munditiem exegerit Deus, non à Sacercerdotibus tantum, sed etiam a laicis, quando in veteri Lege, rebus divinis operari aut interesse debebant; haud mirabitur a Christiana lege in suo longe digniori Sacrificio, singularem sanctissimæ puritatis curam habitam. Ideo non solum ante illud manus lavat Sacerdos: sed etiam sub ipsum Sacrificii tempus, extremos saltem digitos eluit. Verum

rum eo discrimine, quod illa prioris testamenti baptismata hærerent plerumque (*a*), *in depositione sordium carnis:* Sed Evangelii Sacerdotes, quamvis corporis munditiem negligere non debeant, præcipue tamen ante oculos habeant *conscientiæ bonæ interrogationem apud Deum*. Quem in finem, cum ante sacrificium teneantur ex Apostolico præcepto (*b*), *seipsos probare*, & si gravioris noxæ conscii sibi fuerint, quantumque etiam se contritos existiment, habita copia Confessarii per confessionem expiari: præsenti ritu monentur, ut in minimorum etiam peccatorum emundationem incumbant, quæ teste S. Dionysio (*c*), per extremitatum ablutionem denotatur: secundum illud Christi Salvatoris (*d*): *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet:* eoque impensius, quo jam propius ad mysteria sacrosancta accedunt. Præstare id possunt per interiorem dolorem de culpis præteritis quantumvis levibus: sed præcipue oportet, ut præsentem omnem circa eas affectum deponant. Et maxime circa aliquas, quæ speciatim huic sacrificio adversantur, ut sunt levia odia & discordiæ, leves item evagationes & scintillæ libidinis: quorum illa unionem fidelium di-

(a) 1. *Pet.* 3. (b) 1. *Corin.* 11.
(c) *De Eccles. Hierarch. c.* 3.
(d) *Ioan.* 13.

distrahunt, quam tamen præsentis sacrificii sacramentum designat: hæ vero illud castarum cogitationum seminarium, & *Virginitatis germen*, quod in eodem commendat Scriptura (*a*), suffocant.

Recitari interea jubetur pars Psalmi illius votivi, quo David exul orat liberari a persecutione Saulis, patriæque ac templo restitui: idque si fiat, suas in templo tum gratias, tum laudes Numini addicit. Primus vero versus ad excitandam de extergendis peccatorum reliquiis memoriam apte deserviet: quo profiteatur Sacerdos non jam se inter peccatores (quod si necesse fuerit, factum ante oportuit) sed *inter innocentes* loturum manus: ed eos scilicet nævos auferendos, quibus etiam justi, ac innocentes se teneri fatentur, cum ajunt (*b*): *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*. Utque alios versiculos brevitatis causa prætetercam, etiam illum, *ut audiam vocem laudis, ac enarrem universa mirabilia tua*, qui ad Eucharisticum Sacrificium, quod (*c*), *in memoriam suorum mirabilium* Deus instituit, mirifice alludit: hunc inprimis Sacerdoti haud absque animadversione, & affectu percurrendum existimo. *Domine dilexi decorem domus*

tua:

(a) *Zachar.* 9. (b) 1. *Ioan.* 1.
(c) *Psalm.* 100.

tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ: Cujus priora verba, ut literali sensu veteris. Testamenti tabernaculum, posteriora vero ejusdem Arcam designant, quæ sæpius in sacris Literis (a) *Gloria Domini* dicitur: ita allegorico prioribus Christianorum Templa, postremis eorundem Altare significatur, in quo illud peragitur Sacrificium, quod ob sui magnitudinem & excellentiam S. Ignatius Martyr (b) *Gloriam Dei* nuncupavit.

Porro Sacerdos intimo affectu horum decorem complectatur, non modo in Templorum, & Altarium munditia, & ornatu; verum etiam ac multo magis in decentibus ceræmoniis ac ritibus Ministrorum, ut juxta consilium Apostoli (c), *omnia honeste, & secundum ordinem fiant*: ac præcipue in illa filiæ Regis, sive Ecclesiæ gloria, quæ teste Propheta (d), *est ab intus*, ut pote in sanctarum illarum cogitationum, & affectuum exercitio posita, quibus compendio explicandis hanc Opellam impendimus. Omnem denique gloriam, quæ toti sanctissimæ Trinitati ex hoc provenit gloriosissimo Sacrificio, eidem gratuletur, per sollemne illud & divinum acroama, quod ad calcem Psalmi memorati additur: *Gloria Patri &c.*

(a) 1. *Reg.* 4. (b) *Epist.* 14.
(c) 1. *Cor:* 14. (d) *Psalm.* 44.

§. X.

De Oratione, Suscipe Sancta Trinitas.

POst oblationem pro peccatis, in qua hactenus fere versati, sequitur oblatio Eucharistica pro immensis in nos collatis beneficiis, ac inprimis redemtionis nostræ, quæ per tria mysteria compendio adumbratur. Primum est Christi passio, ut causa meritoria nostræ salutis: alterum ejus Resurrectio tanquam nostræ aliquando futuræ exemplar: tertium ejusdem Adscensio, qua Dominus noster (a) *contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit, atque ita ministravit nobis introitum in æternum regnum*. Ob horum igitur *memoriam*, non nudam & jejunam, sed quæ intimæ gratitudinis affectum includat, Sacrificium offerimus. Nec ob illam tantum, verum etiam *in honorem B. Mariæ semper Virginis, & S. Ioannis Baptistæ, & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & istorum* (quorum reliquiæ in Altari quiescunt) *& Omnium Sanctorum*. Quibus verbis ad beneficia ipsis quoque Cœlitibus collata gratitudine extendimus. Teste enim Tridentino (b), eam ob causam, in honorem, & memoriam Sanctorum, non ipsis quidem, sed Deo soli Sa-

(a) *Psalm.* 106. (b) *Sess.* 3. 22. *c.*

Sacrificium offerimus, *ut Deo de illorum victoriis gratias agentes, eorum patrocinia imploremus: Utque ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris*. Quæ postrema verba ex hac Missæ precautione in tertium caput suæ de eadem doctrinæ Concilium ante laudatum transcripsit.

Sacerdos igitur in præsenti oratione totus in demississimam gratiarum actionem intentus eo nomine gaudeat, quod divino munere, infinitæ dignitatis nactus sit hostiam, quam pro immenso redemptionis beneficio Deo reddat; simulque affectu benevolentissimo gratissimum illud in terris officium Cælitibus præstet, quod ipsi in cœlis obire non possunt, lubentissime tamen facerent, si status conditio Deique voluntas ita ferret: illud, inquam, officium, quo pro Dei erga eos miserationibus, quibus ipsos partim in mortali vita est prosecutus, partim in immortali coronat, digna tandem gratiarum actio rependatur. Confidat quoque suis eos partibus haud defuturos, quibus pro Sacrificio, quod in eorum memoriam hic offerimus ipsi in cœlis ante thronum Agni (*a*) orationum suarum incensum pro nostra salute repræsentent.

(a) *Apoc.* 5.

§. XI.

Orate fratres, &c. *usque ad Præfactionem*.

CUm Sacerdos non suo tantum nomine, sed etiam populi Sacrificium offerat: jure ab hoc postulat, ut quod suo nomine geritur, ratum habeat & precum suarum communione pro suo agnoscat: Fratres vero compellat, non Apostolorum tantum exemplo; sed præcipue ipsiusmet Christi, qui nos non erubuit, teste Apostolo (a), *Fratres suos vocare*, simul seipsum & populum admonet, cum fratres omnes sint, inter se ament, & pro invicem orent. Atque inter hæc manus extendit, ac si fraternæ charitatis pectus omnibus panderet; rursumque jungit, quasi intra illud receptos complecteretur.

Qui autem alios ad orandum hortatur, ipse exemplo præit, & orationibus, quæ secretæ dicuntur, attentius vacat. Id nomen obtinent, quod silentio peragantur, vel majoris religionis causa; (semper enim sacrum religioni silentium fuit) vel ad denotandum occultas Judæorum conspirationes, & machinationes in Christum. Jam enim propius ad mysteria Passionis recolenda Sa-

ocr-

(a) *Heb.* 2.

cerdos accedit. Alias communi cum cæteris Missæ orationibus vocabulo Collectæ dicuntur: quia Sacerdos fungens legatione ad Deum pro populo, hujus vota precesque compendio colligit, & supplicis instar libelli Deo offert. Eas tandem finitas Sacerdos ad populum refert, quando altiori voce sollemnem profert clausulam: *Per omnia sæcula sæculorum*: hic vero ex sollemni etiam formula, Sacerdotis precationes approbat, per Hebræum illud vel affirmantis vel optantis adverbium, *Amen* Neque est cur populum iis, quæ non intelligit, assentientem, inconsideratæ forsan temeritatis accuses: novit enim omnia ab eo spiritu veritatis simul, & charitatis dictata, cui se suaque omnia secure committere queat.

CAPUT II.

De Præfatione.

SApienter æque ac pie S.Gregorius (*a*): *Tanto Deus ab hominibus dignius, honorandus est, quanto pro hominibus, & indigna suscepit*. Iure igitur Ecclesia, quo magis in hoc Sacrificio ad Dominicæ passionis commemorationem appropinquat, eo impensius divinas laudes sibi celebrandas proponit: advocatis etiam

(a) *Hom. 6. in Evang.*

iam in earum societatem cœlestibus spiritibus, & infantium atque lactentium linguis ad eloquentiam excitatis. Ut sic scandalum Crucis evacuetur per gloriam, & insanæ Salvatorem blasphemantium voces immortalium æque atque mortalium hymnis obruantur. Quia autem hasce Dei laudes Sacerdos proloquitur ante Canonem, ea Missæ pars Præfatio dici consuevit. De cujus antiquitate ab ipsis Apostolorum temporibus petita videri poterunt Bellarminus, & Scorza: Nos ad alia, quæ nostro instituto magis conveniunt, gradum faciamus.

§. I.

De prima parte Præfationis.

INitio Sacerdos manus hinc inde extensas, omnesque cum iis sæculares curas super altari deponit: quippe qui jam magis quam ante soli Deo vacare, cœlestibusque mysteriis debeat totus esse intentus. Hinc etiam populum salutaturus, haud se pro more ad eundem convertit, sed deinceps usque ad Communionem peractam, in medio altaris, arbitro solo Deo, & quem sæpius respicit, Crucifixo, *quod agendum est, agit*. Salutat autem populum consueta formula, de qua egimus cap. 1. §. 3 Resalutat Sacerdotem populus consueta item

tem formula, *& cum spiritu tuo*. In quam, cum alibi in hoc Sacrificio, tum hic præcipue quadrat, quod acute ab (a) Alberto observatum plures recensent, non reddi a populo salutem paribus verbis, quibus eam accepit, (sic enim, *& Dominus tecum*, respondendum foret) sed dici, *& cum spiritu tuo*: ut insinuet populus Sacerdotem a se æstimari, non instar alicujus de numero cæterorum mortalium, sed veluti quempiam ex cœlestium spirituum familia, juxta illud Malachiæ (b): *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, quia Angelus Domini exercituum est*. De quo hujus responsionis literali sensu quicquid fuerit, apte profectò ad mores, ea audita, tacitus se monebit Sacerdos, ut jam saltem, quando in laudando colendoque Numine beatorum Spirituum socius est futurus, corporeæ molis & sollicitudinis oblitus, pæne totus sit spiritus, vere scilicet, ut D Paulus loquitur (c), *spiritualis*, quo sic purius sanctiusque Deo deserviat, qui quantus est, Spiritus est, ideoque spiritales sui cultores, & ministros amat.

Hortatur deinde Sacerdos sese æque ac populum, ut *sursum* attollantur *corda*: sanctis scilicet cogitationibus & affectibus: hæ enim sunt alæ, quibus cor hu-

(a) *Tract.* 2. *de Miss. c.* 2. *lit. F.*
(b) *Malach.* 1. (c) 1. *Cor.* 2. *&* 3.

humanum terram fugiens, cœlum petat, cœloque excelsiorem artificem ejus. Quæ sollemnis exhortatio non est novellæ institutionis, sed manavit è disciplina Apostolorum: quam S. Iacobus, quam D. Marcus, quam deinde alii suis in Liturgiis posuerunt: cujus apud antiquissimos Patres sæpius mentio celebratur: ob quam augustum Missæ Sacrificium *mystica*, & *sursum ferentia Sacra* aliquando nominarunt. Verum ne corde in sublime evecto, forte non sequantur, sed humi repant opera; simul Sacerdos explicat, & attollit manus, quibus opera designantur. Quo gestu docemur, non solis cogitationibus, animique desideriis; sed operibus etiam quærendum Deum, & in cœlum tendendum. Ita enim hunc ritum interpretatur S. Gregorius in illud Ieremiæ (a): *Levemus corda nostra cum manibus ad Deum*. Verba ejus sunt: *Corda cum manibus levat, qui orationem suam operibus roborat: nam quisquis orat, sed operari dissimulat, cor levat, at manus non levat*.

Porro populus Sacerdoti rite monenti obtemperans, *habemus*, inquit, *ad Dominum*. Quæ verba utinam non solis labiis excidant, sed ex corde revera a terrenis abducto, & cœlestibus sociato procedant! Ne forte locum habeat illa

Ana-

(a) *Thren.* 3.

Anastasii Sinaitæ exprobratio (*a*): *Respondemus, habemus ad Dominum. Quid ais? quid agis? Mens ad caduca hæc & mortalia suspensa hæret, pecuniisque & voluptatibus, & litibus forensibus vacat; & dicis, Habemus ad Dominum? Attende, oro, ne forte non habeas sursum cor ad Dominum: sed deorsum ad Diabolum*. Cæterum si etiam cum Superis urbanitatis sunt leges, quis non videat æquissimum esse, ut quando cæli se inclinant, & ipsum Dei Filium cum supernæ aulæ Principibus ad mortales demittunt; terra sese erigat, tantisque obviam hospitibus, quia corporibus non licet, animis saltem, extra luteas suas casas, aliquousque procedat?

Sed quid agant humana corda jam in cœlos subvecta? quid ibi primum, quid deinde loquantur? præit sublimium Ductor cordium, dum ante aras concinit: *Gratias agamus Domino Deo nostro*. O verbum quod in sublimi discitur, humique ignoratur! In primo statim cœlestium occursu illa veritas patet (*b*): *Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum*. Atque inprimis hoc ipsum cordis ad superna rapti beneficium. Neque enim proprio impetu evolare ad

(a) *Orat. de Sacra Synaxi.*
(b) *Iacob* 1.

Creatorem possumus: quos nempe terrena inhabitatio deprimit, & proprius amor velut innatum quoddam pondus deorsum in nos ipsos & bona nobis cognata familiariaque inclinat. Sed divini auxilii gratiæque pennis est opus, quibus animus adiutus (*a*) *levet se supra se, & quæ sursum sunt, quærat; ubi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt, sapiat, non quæ supra terram*. In sæpius ad hoc propositum monet Divus Augustinus, sed præcipuè de deno perseverantiæ, cap. 13. ideoque pro illis ipsis piis cogitationibus, ac desideris, quibus ad cœlestia conscendimus, hanc gratiarum actionem à Sacerdote imperari contendit, *dignumque, et justum est* à populo responderi.

§. II.

De media Præfationis parte.

SAcerdos pro illa sola divinorum beneficiorum parte gratias egisse non contentus, ad cætera omnia eas extendit verbis quæ sequuntur: *Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere*. Et sane quid dignius, quam agnoscere, *quæ et quanta a Deo donata sunt nobis* (*b*): & quidem gratis ex sola ejus liberalita te

(a) *Thren.* 3. (b) 1. *Cor.* 1.

& dono, absque prioribus meritis nostris? Quid *æquius*, quid *justius*, quam agnitionem hanc in tanti benefactoris laudem aliquo signo profiteri? Hoc autem est *gratias agere*: quod solum absque alia usura, pro omnibus suis beneficiis divina munificentia à creaturis reposcit. Sed nihil etiam æque nobis *salutare*, vulgata testatur paræmia, qua dici solet: munificentiæ divinæ fontes ingratitudine obstrui; copiosius in beneficiorum memores derivari: *semper* autem id faciendum: tum quia nullum tempus divinis beneficiis vacuum fluit; tum quia quæ vel unico conferuntur momento, in se tanta existunt, ut pares nunquam gratias referre possimus, etiamsi tota eas æternitate frequentemus. In iisdem verò *ubique* occupari oportet: quia cum omnis locus divinis miserationibus sit plenus, nostra etiam gratitudine debet exundare. *Misericordia Domini*, inquit Propheta (*a*), *plena est terra*; & alibi (*b*), *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*. Prætereo luculentissima SS. Patrum in hanc rem testimonia, unico D. Augustini excepto, quod ingenuæ illius gratudinis meminerit, quam etiam in adversis exhibeamus. Ita enim in hunc versum Davidicum, (*c*) *Repleatur*

(a) *Psal.* 32. (b) *Psal.* 33.
(c) *Psal.* 70.

tur os meum laude, ut cantem gloriam tuam tota die magnitudinem tuam, ita, inquam, commentatur: *Quid eſt, tota die? ſine intermiſſione. In proſperis, quia conſolaris: in adverſis, quia corrigeris. Antequam eſſem, quia feciſti: cum eſſem, quia ſalutem dediſti: cum peccaſſem, quia ignoviſti: cum converſus eſſem, quia adiuviſti: cum perſeveraſſem, quia coronaſti*.

Cum autem omnes, tum maxime Legatos deceat, Principem, ad quem mittuntur, dignis titulis, compellare: Sacerdos tanquam populi Legatus, hoſce Deo accumulat: *Domine Sancte, Pater Omnipotens, Æterne Deus:* Quos inter æternitas non ſolum ad divinam Majeſtatem deſcribendam aſſumitur: ſed etiam ad divina beneficia pluris æſtimanda: quippe quæ non ab hodierno tantum heſternove affectu, ut inter homines moris eſt, proficiſcantur, ſed à charitate, miſericordiaque æterna. Quod ſæpius ad noſtram erga Deum gratitudinem excitandam inculcat Scriptura, ut apud Ieremiam (*a*), *Charitate perpetua dilexi te*: & alibi (*b*), *Elegit nos in ipſo ante conſtitutionem mundi*. Quidni igitur hoc etiam nomine perpetuas, quantum mortalibus licet, gratias referamus? Ideoque quo efficacius, & apud Patrem æternum gratioſius fiat, additur ſolemnis præ-

(*a*) *Ierem.* 31. (*b*) *Epheſ.* 1.

precationum Ecclesiasticarum clausula, *Per Christum Dominum nostrum*. Quod enim de satisfactionibus nostris pœnitentiæque fructibus verissimè dixit Tridentinum: *eos ex Christo vim habere: ab illo offerri Patri: & per illum acceptari à Patre*. Idem de actionibus gratiarum cæterarumque virtutum actibus pari jure dici debet. Unde etiam illud apud vitæ spiritualis Magistros passim invenitur consilium: ut benè, cœloque dignè operaturi, opus nostrum haud solitarium, ut à nobis tantùm proficiscitur, sed *in unione*, ut loquuntur, meritorum Christi, sive ut cum iis conjunctum, Patri offeramus.

Ac meritò sanè mortales id facimus: cum etiam Angeli suis laudibus, aliisque religiosis actibus, gratiam apud Deum conciliaturi, ad Christum Dominum recurrant: per ipsum divinam laudent Majestatem, *adorent*, cum *tremore* revereantur, & communi lætitia *concelebrent*. Id autem faciunt Angeli prorsus omnes, infimi, medii, supremi: hi per *Seraphim*, qui in prima cœlestium Spirituum hierarchia primum ducunt chorum: illi per *Potestates*, *Dominationes*, *Virtutes*: infimi denique simplici *Angelorum* & Cœlicolarum nomine denotantur. Etsi verò omnes clara Dei visione beati existant: nam etiam de infimis, qui ad hominum custodiam deputan-

peccatum, & inferos se præcipitunt, ubi sanctum eius nomen blasphemant, & contemnunt: ac simul toto ferri conatu ad illas partes supplendas, eorumque hic in divinis laudibus occupandum locum, quorum ruinas per se aliquando in cœlesti Ierusalem instaurandas confidit. Ne tamen temere in cœlestium choros se ingerat, veniam ac facultatem precatur supplicibus hisce verbis: *Cum quibus & nostras voces ut admitti iubeas deprecamur, supplici confessione dicentes.*

§. III.

De extrema parte Præfationis, videlicet de hymno triumphali.

SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS.

TRiumphalis vocatur hic hymnus in Liturgiis SS. Iacobi & Marci: quia duplicem celebrat triumphum, unum cœlestem, terrenum alterum. Primus in illis continetur verbis, quæ ob devictam obstinationem perfidiamque Iudaicam divinæ Maiestati acclamarunt Seraphini apud Isaiam (a) *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum,* (in Missa retinetur ex Hebræo vox synonyma Sabaoth) *plena est omnis terra*

(a) *Isa.* 6.

ra oria eius. Alter in sequentibus, ...Christo Hierosolymam ingredienti tanquam Davidis filio & Messiæ accinebant turbæ (*a*) *Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini hosanna in altissimis*. Quibus ex Scriptura petitis, unum alterumve verbum Ecclesia adiecit.

In prima hymni parte *Sancti* nomen ter repetitum, Personarum quidem trinitatem designat, quemadmodum & illa vox; *Dominus Deus*, in singulari numero prolata, divinæ essentiæ unitatem: quæ tamen adduntur de gloria Domini implente terram, & quæ apud Isaiam præcedunt de Domino sedente in throno, ac verisimiliter gerente effigiem hominis, peculiariter ad Verbi Incarnationem referuntur. Unde D. Cyrillus (*b*) aliique existimant, hic ab Isaia visum esse Christum sedentem ad dexteram Patris: quod congruit cum Ioannis 12. ubi dicitur Isaias eo loco vidisse *gloriam eius*, scilicet Cristi, *& locutus esse de eo*. Nec desunt, qui ingeniose observent, idcirco hic apparuisse Seraphim & alis extremis complicatis medias explicasse, ut Crucis efformarent figuram: eoque signo insinuarunt, tantæ Maiestati Crucem non tam a furore Iudæorum, quam ab amoris incendio per Seraphim adumbrato præparari. Apte

(a) *Matth.* 21.

(b) *Cyrill. Comm. in Isa.*

Apte igitur Sacerdos utrumque illud Mysterium hic ante oculos habebit, utpote non præsentis tantum Sacrificij, sed totius Christianæ religionis fundamentum. Utque tanto dignius divinum illud trisagion concinat, illud D. Chrysostomi (*a*) sibi dictum exstimet: *Una cum Seraphim canis? Una cum Seraphin sta, cum illis alas extende, cum illis regium thronum circumda*. Stet itaque erecto ad Dei laudes animo, constans in eius obsequio, non cadat cum Lucifero, extendat in crucem binas amoris alas, tam corde, quam corpore crucis mortificationem amplectendo, ut dicere possit cum Apostolo, *Christo confixus sum Cruci*: canat quasi in eodem cum Serahpinis theatro constitutus ante trhenum Dei: nulla enim compositio loci ad omnem devotionem efficacior.

Materia autem carminis est Dei Sanctitas & Maiestas, illa infinita & per essentiam Sanctitas, a qua tanquam primo fonte omnis alia sanctitas derivatur: illa tremenda Maiestas, cui omnes exercitus serviunt; sive mortalium ad Iudaicam perfidiam exscindendam armatorum: sive immortalium, ex quibus (*b*) *millia millium ministrant ei, & decies millies centena millia assistunt ei*. Id su-

(a) *Hom. in Seraphin.*
(b) *Dan.* 4.

superst, ut Sacerdos, qui tam sancto Numini ministrat, vitæ quoque sanctitatem sectetur, iuxta illud Levitici (*a*): *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum.*

Quod attinet ad alteram hymni partem, Sacerdos, qui prius accesserat (*b*) *ad Civitatem Dei viventis, Ierusalem cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam & Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis:* iam hic se confert ad terrestrem Ierusalem, miscetque se (*c*) *turbæ plurimæ* Hebræorum antecedentium & sequentium Chistum, ut ex cœlo simul terraque discat, quæ vertat in laudem Dei. Hic autem audit, & ad præsens epinicion accommodat Hebræam voculam, *Osanna:* de cuius significatione cum haud parva sit controversia, verisimilior sententia obtinet, eam fuisse solemnem formulam gratulantium, & fausta acclamantium, qualis apud nos est, *Io triumphe, vivat Rex, bene sit Principi.* Hic enim sensus & Hebrææ derivationi convenit, & turbarum triumphalem in modum Chistum ut Regem excipientium affectui. Quare & nos vocem illam ingeminantes, ex intimo corde Regi omnium, Dominoque applaudamus & congratulemur, bonaque omnia im-

(a) *Levit.* 11. (b) *Hebr.* 12.
(c) *Matth.* 21.

imprecemur . Observari tunc animo poterunt acclamationes Apocalypticæ (a): *Benedictio , & claritas , & sapientia , & gratiarum actio , honor , & virtus , & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum* : vel illa brevissima : *Vivat Iesus* , quam velut tesseram , in corde , ore , scriptis semper habuit vir sanctissimus Franciscus Salesius Episcopus Genevensis , qui piè scriptis sanctèque gestis id consecutus , ut nulla ætas de ipsius laude , beataque memoria conticescat .

Ne tamen hic forte zelus prudentia destituatur , annotari breviter potest , bona , quæ Regi nostro gratulamur vel imprecamur , aut esse interna & iam possessa , aut externa & possidenda . Hoc autem ad rem præsentem est discrimen , quod ipsi de bonis internis , iamque possessis gratulari tantum possimus , exprimendo gaudium , quod de illis haurimus . Nisi forte addamus imprecationem inefficaciem ; adeo tamen sinceram , ut si a nobis ea bona penderent , illa ipsi propria , imo & sempiterna facere vellemus . Sed bona externa & possidenda possumus (quantum est innobis) efficaciter desiderare , optando ut omnes mortales Deum Christumque cognoscant revereantur & ament , idque pro virili nostra procurando & promovendo .

CA-

(a) *Apocal.* 7.

CAPUT III.

De parte Canonis præcedente Consecrationem.

PRæfationem excipit illa pars Missæ, quæ communiter vocatur Canon, quasi præfinita fixaque regula ab omnibus in celebratione huius divini Sacrificij observanda. Constat autem, ut testatur Tridentinum, *cum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac sanctorum quoque Pontificum institutionibus.* In quibus quam graviter & deliberate processerint, vel inde colligi potest, quod paucula verba a quibusdam Pontificibus Canoni inserta, quasi totidem oracula ad perpetuam memoriam in eorum vitis annotentur: ut illa Leonis Primi, *Sanctum Sacrificium, immaculatam hostiam;* & hæc Gregorij Primi, *diesque nostros in tua pace disponas.*

§ I.

De silentio Canonis, & memoria Passionis.

TOtus Canon sacro profundoque silentio peragitur, nonnisi tribus humilitatis voculis interrupto; hoc enim om-

omnium fere gentium opinione, Numinis cultum, pietatemque quam maxime decet. Imo nullo hymno dignius prædicari Maiestatem divinam, quam arcano silentio, haud obscure insinuat illud Davidis (*a*). *Tibi silentium laus Deus in Sion*: ita enim vertit S. Hieronymus, quod vulgatus habet Interpres, *Te decet hymnus Deus in Sion*. Ut omittam silentio denotari illum compositum pacatumque animi statum, quem ad Deum rite venerandum adferre sacri Mystæ debemus: gravitatem item negotij, quod pro humana salute quasi soli cum Deo tractamus: instantem denique Christi Domini presentiam, de qua Zacharias (*b*), *Sileat omnis caro a facie Domini*.

Apud omnes quoque Catholicos est in confesso, huic Sacrificij parti quam maxime propriam esse commemorationem Dominicæ Passionis: non solum ratione Consecrationis, quæ, sicut videbitur cap. 4. viva quædam est & expressa mortis Christi imago; sed aliarum quoque precum & cæremoniarum, quas in perpetuum Christi pro nobis patientis monumentum Ecclesia instituit. Quod tamen non sic accipi velim, quasi singulæ Canonis preces ac ceremoniæ, singulares quasdam partes Passionis designent: sed quod totus Canon per

(a) *Psal.* 64. (b) *Zach.* 2.

per modum unius signi, si non ex rerum vel actionum similitudine, saltem ex voluntate instituentium, in Christi patientis memoriam nos ducat. Quemadmodum in vocibus cernimus, quod non per singulas sylabas singulare quidpiam exprimant in re significata; sed hanc totam per illas omnes coniunctas.

Quo autem isthæc memoria promptius excitetur, solet plerumque in prima Canonis fronte imago Crucifixi depingi: ut Sacerdos ad inchoandum Canonem explicaturus librum, statim ante oculos mysterium habeat, quod eum tunc recolere oportet. Si fors alia imago desideretur, vel prima Canonis litera monere immemorem poterit, est enim maiuscula, T, quam esse Crucis characterem ac symbolum, ex Ezechiele aliisque tam prophanis, quam sacris authoribus notius est, quam ut hic sit probandum.

§. II.

De Oblatione, Te igitur Clementissime Pater.

EST hæc tertia ex 4. illis speciebus Oblationum, de quibus egimus Cap. I. §. 4. tota nempe impenditur, ut varia beneficia, tam pro Ecclesia in communi, quam pro personis privatis im-

impetrentur. Dirigitur ad Deum *Patrem*, non iam ut est nomen toti Trinitati commune, prout factum vidimus Cap. 1. §. 5. sed ut est primæ personæ proprium: id enim correlativum *Filii* proxime coniunctum evincit. Tacite tamen ac ratione eiusdem essentiæ in solo Patre expresso, cæteræ etiam personæ subintelliguntur. Merito autem *Patrem* hic imploramus titulo *Clementissimi*: summæ quippe Clementiæ est, non solum peccatoribus ignoscere, sed eosdem etiam novis beneficiis cumulare. Addimus obtestationem ad impetrandum efficacissimam, per *Iesum Cristum* Mediatorem scilicet & Advocatum nostrum: *Filium tuum*, ut tanto magis paterni animi benignitatem commoveamus: *Dominum nostrum*, ut Pater non in alienos beneficia conferre, sed Filio suo in suis subditis, discipulis, familiaribus, amicis, imo fatr bus & membris benefacere censeatur Quid enim etiam apud Patrem valeat, quod a nobis estimari voluit Christus Dominus, cum dixit (a): *Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis, minimis, mihi fecistis?* Quæ sane ratio ad magnam fiduciam postulata consequendi sufficere deberet, etiamsi magnifica illa pollicitatio (b). *Si quid petieritis Patrem in nomine meo*, ore Ve-

(a) *Matth.* 25. (b) *Ioan.* 16.

Veritatis prolata non esset. Sed ne forte repulsam adhuc feramus, propter illud D. Iacobi (*a*), *Petitis & non accipitis, eo quod male petatis:* conditionem ad bene orandum requisitam adferre conamur, humilitatem, *supplices te rogamus ac petimus*. Ut enim ait Ecclesiasticus, (*b*), *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & donec appropinquet, non consolabitur: & non discedit, donec Altissimus adspiciat.*

Tum supplicem libellum explicare incipimus, ac Patrem rogare, ut accepta habere dignetur, suaque benedictione prosequi *dona* & *Sacrificia*, quæ offerimus. *Inprimis* autem *pro Ecclesia sancta Cahtolica:* qui ordo maxime observandus. Bonum enim totius Ecclesiæ præcipue in hoc Sacrificio intendi debet; non solum quia in se præstantius est, utpote universalius & ad nobiliorem finem ordinatum, sed etiam quia Sacerdos offert hoc Sacrificium ut Minister & Legatus Ecclesiæ Notum quippe est, quo pacto Legatus non debeat primo loco agere res suas vel amicorum, sed Reipubl. aut Principis, a quo mittitur. Noverit igitur Sacerdos cætera omnia, quæ per præsens Sacrificium postulat, eatenus impetranda, quatenus communi bono sanctæ & universalis Ecclesiæ subserviunt. Sin vero vel po-

(a) *Iacob.* 4. (b) *Eccli.* 35.

liticum statum spirituali præferat, vel privata commoda publicis anteponat, se non solum non exaudiendum, sed fœdæ etiam prævaricationis in sui muneris administratione arguendum.

Beneficia autem, quæ pro Ecclesia petimus, ad quatuor capita totidem vocabulis, sed valde prægnantibus expressa, revocantur. Primum est, ut Deus dignetur Ecclesiam *pacificare*: quod verbum non est restringendum ad immunitatem ab intestinis, externisque bellis: sed in ea sumendum amplitudine, qua passim *Pax* in Scriptura sumitur, pro omni salute, prosperitate, beatitudine. Quamobrem per Christum *Principem pacis* (*a*), quam omnia comitari solent bona (sicuti è contra bellum universa mala) Patrem obsecramus pro bono atque felici Ecclesiæ statu. Is verò qua ratione non ex terrenis tantum bonis, sed præcipuè spiritualibus æstimari debeat: cuilibet Christiano notissimum suppono, qui aliquando illam Regis sui pacifici confessionem audierit (*b*), *Regnum meum non est de hoc mundo*. Idem de sua pace dicere potuisset; imò dixit æquivalentibus verbis (*c*): *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis*.

Alterum beneficium petimus, ut Deus dignetur Ecclesiam *custodire*: ne

(a) *Isa.* 9. (b) *Ioan.* 18. (c) *Ioan.* 14.

ſcilicet proſperitatem ſemel partam, malis adverſiſque rebus, quas tot hoſtes moliuntur, aliquando amittat. Docuit hanc precandi formulam Salvator ipſe cum dixit (a): *Pater Sancte, ſerva eos in nomine tuo*; ejuſque protectionis fiducia, vel etiam experientia olim tanta erat inter Chriſtianos, ut S. Judas inter eorum titulos poſuerit (b), *In Chriſto Jeſu conſervatos*. Tertium beneficium denotat vox *adunare*, id eſt congregare, ſeu colligere: qua petimus incrementum Eccleſiæ, plurium acceſſione ad eandem: iuxta illud Ezechielis, (c) *Congregabo vos de populis, & adunabo de terris*. Quartum denique ad reliquorum cumulum poſtulamus, ut Pater Eccleſiam *regat*: non generali ſolum providentia, quæ nunquam deeſt; ſed illa ſpeciali, de qua in Pſalmis (d), *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ, ibi me collocavit*.

Poſtquam univerſum Eccleſiæ corpus commendatum eſt Deo, ad particularia ejus membra deſcenditur: ac primò quidem ad Pontificem Romanum, viſibile in terris Eccleſiæ caput & Vicarium Chriſti. Nec mirum ſit pro illo ſpeciatim precari Sacerdotem, pro quo ipſe Chriſtus ſic orare dignatus eſt (e),

Ro-

(a) *Ioan.* 17. (b) *In Epiſt. Can.*
(c) *Ezech.* 11. (d) *Pſal.* 22.
(e) *Luc.* 22.

Rogavi, inquit, *pro te*, Petre, *ut non deficiat fides tua:* pro quo item cum ab Herode detineretur in carcere, tota Ecclesia *sine intermissione oravit*. Tum hortante Apostolo (*a*), *Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei*, oratur pro Episcopo Ordinario loci: in antiquis Liturgiis ex ejusdem Apostoli consilio addebatur Oratio pro Rege, ut nempe (*b*) *quietam & tranquillam vitam* subditi agerent. Jam vero servandus Canon Romanus: nisi aliud obtineat speciale privilegium, vel legitima consuetudo. Denique pro privata salute cæterorum fidelium.

§. III.

Memento etiam Domine.

QUamvis inter Theologos controvertatur, an alio quodam sensu detur proprie memoria in Deo: inter omnes tamen convenit, illam Dei memoriam, quam precibus imploramus, non nisi metaphoricam esse. Sumitur enim pro novo aliquo divinæ misericordiæ affectu per quem erga creaturas ita se gerat, atque homines solent, quando eorum, quibus optime cupiunt, opportuna benefaciendi occasione recordantur. Quod sapienter expressit, & per divinæ oblivio-

D 2 nis

(a) *Act.* 12. (b) *I. Tim.* 2.

nis antithesin illustravit S. Gregorius, cum ait: (*a*) *Dei memoria nec oblivione rumpitur, nec recordatione sarcitur, sed dum aliqua deserens prætermittit, more hominum oblivisci dicitur: & cum post longum tempus, quæ voluerit visitat, nostræ mutabilitatis consuetodine recordatus vocatur*.

Hcc ergo sensu Deum rogat Sacerdos, ut *meminerit famulorum suorum*, non eorum tantum, qui jam in genere, vel etiam specie commendati fuere ex Ecclesiæ præscripto; sed aliorum quoque, quos Ecclesia privatæ Sacerdotis devotioni commendandos relinquit. Horum igitur memor sit Sacerdos, quorum Deum speciatim memorem cupit. Non suaserim tamen longiores commendatorum catalogos contexi: hæc enim distractio est parum apta huic parti Sacrificii. Nec velim veibis nimis prolixis vel proprias, vel aliorum necessitates exponi: quam enim paucis Ecclesia in priore §. Seipsam, Pontificem, Antistitem commendavit? Præ quibus publicis negotiis non decet privatas causas multò longius produci: præsertim apud illum Principem, qui omnium cujusque miseriarum probe conscius ex ipso Veritatis ore nos pridem admonuit (*b*), *Orantes autem nolite multum loqui*, cujus rationem mox reddit: *Scit enim Pater vester, quid opus*

(a) *L.* 32. *Moral. c.* 6. (b) *Matth.* 6.

opus sit vobis, antequam petatis eum. Pauca igitur sint verba, sed affectu charitatis, pietatis, gratitudinis, misericordiæque prægnantia. Quarum, aliarumque virtutum erga proximum exercendarum occasio tam in hac commemoratione vivorum, quam in altera, quæ post Consecrationem sequitur, vita functorum se offert.

Quo autem commendandi brevius promptiusque memoriæ occurrant, variæ a variis traduntur praxes. Non displicet illa, quam ex Gabriele Biel aliisque suggerit, qui senectutem suam haud minus pietate, quam doctrina venerabilem reddidit Martinus Navarrus (a) ut nempe pro imaginibus memorativis accipiantur sex casus Grammaticales. In Nominativo Sacerdos seipsum collocet, atque eum, pro quo speciatim celebrare intendit: in Genitivo parentes tam corporales, quam spirituales: in Dativo benefactores: in Accusativo inimicos suos & calumniatores, juxta exemplum pariter, & doctrinam Christi Domini (b) *Diligite inimicos vestros; benefacite his, qui oderunt vos; & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Ad Vocativum obiiciat animo Ecclesiæ, & præsentis inprimis Sacrificii Ministros, quasi ad hæc officia vocatos a Deo: ad Albativum recordetur pau-

(a) *In manuali c.* 25. *n.* 117. (b) *Matth.* 5

perum, miserorum, ac ratione damni vel iniuriæ quam passi, afflictorum: præsertim si ipse interdum Sacerdos aliqua iniuriæ causa vel occasio fuerit. Sunt tamen quibus ad hunc usum magis arrideant imagines piæ: ut B. Francisco Borgiæ quinque vulnera Crucifixi. Quæ sanè, prætorquam quod Canoni congruant, in quo Dominicam Passionem memoria colimus, apte etiam diversis commendandorum classibus accommodari possunt: ut verbi gratia, ad vulnus manus dextræ oremus pro Magistratu Ecclesiastico, ad vulnus sinistræ pro Civili: ad dextri pedis vulnus pro sanguine vel amicitia conjunctis; ad vulnus sinistri pro inimicis: denique intra sanctissimi lateris plagam abdamus nosipsos, una cum iis, quibus speciatim Sacrificium applicamus.

Post hanc privatæ devotionis parenthesin, Sacerdos rursus publicas preces nomine Ecclesiæ resumit: in quibus divinæ bonitatis memoriæ speciatim commendat *omnes circumstantes*, eos scilicet, qui præsenti Sacrificio intersunt, sive Missam audiunt. Nec frustra eorum *fidem* atque *devotionem* ad Dei notitiam refert: pro mensura enim fidei & devotionis erga hoc sacrosanctum Sacrificium, fructum eusdem Deus confert. Tum pro illis quoque precatur, pro quibus, quamvis forte absentibus, ipse cum populo illud offert. Ac pro

illis

illis tandem, qui specialiter ad Sacrificii oblationem concurrunt, vel eleemosynam dando in sustentationem Ministrorum, vel quid aliud, saltem ad Sacrifici celebritatem, sollemnitatemque conferendo. Illi enim omnes, non per se quidem, sed per Sacerdotem *Sacrificium offerunt*. Repræsentat autem Deo, taciteque commendat diversos fines, ob quos illud a populo offerri contingat; sive in *Sacrificium laudis*, pro beneficiis acceptis; sive in *Propitiatorium*, pro redemptione animarum; sive in *impetratorium*, pro æterna salute, vel incolumitate temporali.

Latissimus hic Theologo aperitur campus ad explicandos Sacrificii fructus: quinam, & ad quos, quo ordine, qua quantitate, dispositione, cæterorum indemnitate participentur. Sed Scolis hæc aptior disputatio, quam Aris; & præter nonnulla ante delibata Sacris operaturo sufficere existimo, si credat fructus hujus incruentæ oblationis esse quam maximos, quippe per quam *Fructus Oblationis cruentæ*, ut loquitur Tridentinum (a), *uberrime percipiantur*: eosque juxta Christi Domini institutionem ita dispensari, ut & suam partem tota habeat Ecclesia, cæterique qui ex Ecclesiæ præscripto in Canone nominantur, & nihilominus magni momenti portio re-

(a) *Sess.* 22. *c.* 2.

maneat, quam Sacerdos ex recepta in Ecclesia probataque consuetudine appli- care possit aliis, pro quibus peculiariter celebrare intendit. Quid enim hic diffi- cultatis, si fructus hujus Sacrificii, ju- xta quorundam opinionem, infinitus exi- stat? Sed demus communiori sententiæ illum finitum esse; quidni Deus, qui vel unicum milii granulum ita per uni- versum distribuere potest, ut nullus mor- talium alicujus expers portionis existat; multo magis id possit circa fructum il- lum amplissimum? Ceterum, cum nos lateat, quantum ad singulos pertineat, præstat de illius determinatione Sacer- dotem non esse sollicitum, sed sequi con- silium Doctoris (a) æque in pietate at- que in speculatione subtilis: videlicet Deo id totum relinquere, qui optime nerit, quantum pro causis, tum commu- nibus, tum privatis, habita ratione ap- plicationis, vel generalis per Ecclesiam, vel specialis per Sacerdotem factæ, ac dispositionis cujusque, ex pactis con- ventis cum Chrsto suo, ad unumquemque pertineat.

§. IV.

Communicantes & memoriam venerantes.

Non est hæc nova Oratio, sed prio- ris pars, a verbis illis inceptæ: *Te*

(a) *Scot. quodl.* 20. §. 19.

Te igitur, Clementiſſime Pater, & ad ſequentem uſque orationem productæ: *Hanc igitur Oblationem:* ubi etiam conſueta formula concluditur, *Per Chriſtum Dominum noſtrum*. Idque poſtulat verborum connexio, quibus plena ſententia deerit, niſi *communicantes* referatur ad vocem præcedentem *offerimus*, vel *offerunt*.

Porrò *communicantes*, quamvis a multis accipiatur de communicatione noſtra cum Beatis in cœlo, quorum commemoratio ſequitur: ab aliis tamen veriſimilius intelligitur de fidelium Sacrificium hoc offerentium communione inter ſe: id enim ſuadent verba, quæ ſummis feſtivitatibus interponuntur, hoc modo *communicantes & diem ſacratiſſimum celebrantes*, & paulò poſt, *ſed & memoriam venerantes*, ubi particula adverſativa *ſed*, cum copula &, diverſitatem importat, ut ſenſus ſit: Offrimus communicantes, diemque celebrantes, ſed & præterea memoriam venerantes. Per hanc autem fidelium communicationem denotatur unio, qua inter ſe devinciuntur; non ſolum propter eandem fidem, ſpem, charitatem; ſed etiam propter illius hoſtiæ oblationem, quam in ſingulare quoddam, ut loquitur Tridentinum (a), *unitatis ſignum, vinculum charitatis, concordiæque ſymbolum*

(a) *Seſſ.* 13. *c.* 8.

Salvator instituit. Unde & ejus participatio, S. Damasceno teste, communio appellatur, *Quia*, inquit (a), *per illam efficimur unum Christi corpus mysticum, quod ex fidelium tamquam membrorum per charitatem connexione compaginatur: quin immo & unus efficimur panis mysticus*. Idque deinde confirmat ex Apostolo: *Unus panis, unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane & uno calice participamus* (b);

Sed quidquid sit de literali sensu *communicationis* cum Sanctis: reipsa in hac parte Canonis cum illis communicamus, venerantes memoriam eorundem: ac inprimis *gloriosæ semper Virginis Mariæ*, deinde *beatorum Apostolorum*, ac plurimorum *Martyrum* nominatim: tum cæterorum Sanctorum in genere, omniumque patrocinium implorantes. Primo autem loco veneramur Deiparam, non solum propter excellentiam dignitatis, gratiæque patrocinandi: sed etiam propter singularem cognationem cum præsenti Sacrificio. Ipsa enim salutarem ejus victimam mundo edidit: utque ex sacro epithalamio discimus: *venter ejus* propter virginitatem *vallatus liliis acervus* fuit *tritici*, & *ubera ejus botri vineæ* (c), unde meliori sui parte cœlestem conficimus panem, vinumque expri-

(a) *l.* 4. *fid. c.* 14. (b) 1. *Cor.* 10.
(c) *Cant.* 7.

primimus, ex quibus munda hæc, & *secundum ordinem Melchisedec* (a) oblatio constat. Accedit in hoc Dominicæ Passionis theatrum nullam potiori jure personam introduci, quam quæ singulari redemptionis prærogativa gaudens, primarius merito censetur Sanguinis Christi effectus. A nulla denique decentius duci Martyrum chorum, qu m a Martyrum Regina, & plus quam Martyre ob *doloris gladium*, qui in Passione Filii, juxta vaticinium Simeonis (b), *ejus animam pertransivit*.

Porrò Martyres, sive simul Apostoli sint, sive non, in hanc prodeunt scenam, solique è sacris tabulis nominantur: per nullos enim Christi Passio magis ad vivum repræsentari potest, per nullos magis honorari hoc Sacrificium; Ipsi namque Christi *vestigia sequentes, ejusque passionum socii effecti, configurati sunt morti ejus* (c): & reipsa ostenderunt protestationem illam divinæ potestatis atque dominii in vitam nostram ac mortem, ad quam faciendam Sacrificium deputatur, non esse honorariam tantum ac cæremonialem, (quales interdum in Principum aulis frequentantur) sed obligatoriam, maximeque seriam atque synceram: vi cujus tot Apostoli ac Martyres vitam suam in tormen-

(a) *Psal.* 69. (b) *Luc.* 2.
(c) 1. *Pet.* 2. 1. *Cor.* 5. *Philip.* 3.

mentis posuerint: nosque etiam ponere parati simus, quandocumque Dei honor & voluntas tulerit. Hic enim animus tam luculento opere comprobatus maxime commendat præstantiam Sacrificii, præsertim illius, ubi ex tam nobilis hostiæ oblato pro nobis Sanguine acriores stimuli ad nostrum quoque tanto ignobiliorem offerendum suggeruntur. Atque hinc factum opinor, ut non solum ad Martyrum memorias, sed super ipsis quoque eorundem sepulchris tamquam altaribus augustissimum hoc Sacrificium celebrari consueverit, quia nullus locus, vel ornatus ejus dignitatem efficaciamque magis ob oculos ponit.

§. V.

De Oratiooe, Hanc igitur Oblationem servitutis nostræ.

POstquam oblatum est Sacrificium in expiationem culparum, gratiarum actionem, impetrationem beneficiorum, congruebat, ut non negligeretur primarius ejus finis, qui est, significare ac protestari supremam Dei excellentiam & dominium, infimamque nostram subjectionem, ac servitutem; quemadmodum olim per holocausta, quæ tota in Dei honorem cremabantur, fiebat. In hunc igitur finem nova additur oblatio, ideo *servitutis* dicta: & ritu quidem

singulari, expansis super oblata manibus, sicuti olim quoque victimæ in holocaustum mactandæ manus imponi solitas, ex libris Exodi & Levitici discimus (*a*). Ex quibus ut singularem aliquem pietatis sensum colligamus,

Notandum ex Eusebio (*b*) de demonstratione Evangelica, illam manuum impositionem super caput victimæ fuisse quamdam substitutionis notam. Cum enim ratio, pietasque dictaret Deum, à quo omnes vitam animamque accepimus, summo jure dignissimum esse, in cujus honorem & cultum, non viliores tantum animantium animas; sed nostras quoque, quibus nihil in mundo præstantius, immolaremus; id vero reipsa exequi, cum nec generi humano expediret, nec per ordinanriam Dei legem licitum foret; visum est, ut animantium animæ nostrarum subirent vices, & in harum redemptionem ac pretium illæ tantisper, indulgente Numinis clementia, præstarentur; donec grandis illa succederet victima mundo toties promissa, quæ se offerendo nostrarum omnium animarum pretium copiosum persolveret. In hujus itaque substitutionis signum sacrificaturi imponebant victimæ manus, eamque capite comprehensam atque detentam, quasi pro suo capite aris sistebant.

Sa-

(a) *Exod.* 29. *Levit.* 1.
(b) *Euseb.* *l.* 1. *c.* 10.

Satis jam vides, Christiane Sacerdos, quid hic tibi agendum; Agnosce supremum vitæ necisque Dominum: quantum illi debeas, expende Animam scilicet tuam, omniumque animas, quorum nomine Sacrificium offers. *Ecce omnes animæ meæ sunt*, dicit Dominus (*a*). Hæc est servitus nobis concreata, innumerisque tam nostrorum criminum, quam divinorum beneficiorum titulis cumulata. Sed, o divinam Clementiam! debitum non exigit, substitutionem patitur; nec jam hircorum vel taurorum: sed Unigeniti sui, ad quem incruente immolandum mox accedis. Obstupesce ingens illud pretium animæ tuæ: in hujus redemptionem id Deo offer: nec brevi vitæ sic redemptæ usura contentus, aude etiam sperare, ut electorum albo adscriptus, æternum in omni felicitate & gaudio vivas.

Qui præscripta ab Ecclesia verba expenderit, videbit ea apte in hanc sententiam quadrare. Hinc enim dicitur *Oblatio Servitutis*, quod ad eam speciatim profitendam instituatur: ac simul ad recognoscendum dominium Dei, quod connexione relativa nostræ servituti respondet. Per voculam *nostræ*, tam Sacerdotis ipsius, quam omnium circumstantium, & particulariter offerentium servitus denotatur: sicut & totius Ecclesiæ per

(a) *Ezech.* 18.

per verba sequentia, *sed & cuncta familiæ tuæ*. Ecclesia enim secundum Apostolum (*a*) *Domus* est Dei vivi, cujus *domestici* ac familiares, omnes Christi fideles existunt.

Cumque cætera verba sint clara, id tantum ad illa, *diesque nostros in tua pace disponas*, observandum occurrit: Magnum Gregorium hæc addi[disse] Canoni afflictissimis Ecclesiæ temporibus; *cum gentem contra gentem exurgere, earumque pressuram terris insistere plus jam cerneret, quam in codicibus legeret*. cum quotidie novæ & improvisæ clades affligerent, atque ipsa etiam Roma inter Longobardorum gladios trepidaret. Exulante igitur mundi pace ac prosperitate, ad illam quæ Dei est, communibus votis confugiendum censebat. Damna item malaque præsentia nihili æstimanda, dummodo benignissimus Dominus has exaudiret preces, *ut ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum jubeas grege numerari*. Quæ quam apte nostris etiam temporibus congruunt!

§. VI.

(a) 1. *Tim.* 3. *Ephes.* 2.

§ VI.

Quam Oblationem tu Deus in omnibus quæsumus.

EST hæc conclusio, & quædam veluti recapitulatio quatuor Oblationum præcedentium: qua Patrem rogamus, ut præsentis Sacrificii oblationem, quatenus omnes priores complectitur, *in omnibus*, sive pro peccatis, aut actione gratiarum, sive pro obtinendis beneficiis, aut in holocaustum, *benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere dignetur*: tam ex parte rei oblatæ, per Consecrationem; quam ex parte Sacerdotis, populique offerent s, per suam gratiam ad hoc necessariam. Idque eum in finem, ut panis & vinum, quæ hactenus, ut diximus c. 1. § 5. Corpus & Sanguinem Christi sub propriis speciebus futurum repræsentabant, jam reipsa fiant *Corpus & Sanguis Domini nostri Jesu Christi*: neque absolute tantum, & in se, sed etiam respective, & *nobis*, in utilitatem scilicet, & salutem nostram.

Orat autem Sacerdos pro effectu Consecrationis, non quod timeat de efficacia verborum, si modo debito proferantur: sed partim ut non suis viribus, verum divinæ omnipotentiæ effectum

adeo

adeo supernaturalem adscribat: partim etiam ut in re tanti momenti omnia tuta timeat, ne forte ex sua parte aliquid desit. Hic enim locum babet illud Sapientis (*a*): *Hominis est animam præparare* per intentionem consecrandi & sacrificandi: verum in re tanta id non sufficit, sed restat, ut & *Dominus gubernet linguam*, qua rite tanta mysteria peragantur.

Cæterum verba illa, *adscriptam, rationabilem, acceptabilem*, fuisse etiam tempore S. Ambrosii ad rem præsentem adhibita, constat ex 4. ejus libro de Sacramentis c. 5. duoque reliqua haud recentiora censentur. In quorum singulis, etsi plures multa mysteria, reconditaque indagent: salva tamen eorum pietate & sapientia, brevitati meæ, & forte etiam literali sensui consultum iri existimo, si dixero, unam esse omnium sententiam, magis minusque expressam: qua videlicet Deo commendetur Sacrificii oblatio; ut eam *in omnibus benedictam*, & inter dona sibi grata *adscriptam*, & approbatam confirmatamque; quod vox *rata* designat: præterea *rationabilem*, divinis scilicet rationibus congruentem: ac tandem *acceptabilem*, id est, dignam, quæ non solum ex parte doni, sed etiam ex parte Ministri offerentis a Deo acceptetur: non quidem ex

(a) *Proverb.* 16.

ex nostris meritis habere, sed sua gratia *facere* dignetur. Neque hoc inusitatum, sive in præsenti Sacrificio, sive in literis sacris; ut verba quæ idem, sed sub ratione aliquo modo diversa significant, multiplicentur: tum ad magis declarandam rei magnitudinem, tum etiam ut longiore ejusdem rei consideratione magis nutriatur & crescat affectus. Præterquam quod singulis Crucibus, quæ hic quinæ formantur, singula etiam verba aptari conveniret.

CAPUT IV.

De Consecratione.

POst oblationes verbales haud frustra, ut hactenus vidimus, multiplicatas, una tandem sequitur realis Oblatio, sane dignissima tanto prævio apparatu, per quam nimirum incruento verborum gladio *idem ille Christus in altari immolatur, qui in ara Crucis semel seipsum cruente obtulit*. Quod qua ratione fiat, etsi ab aliis aliter explicetur, facilè intelligitur per occisionem quandam mysticam & repræsentativam; quantum est ex vi significationis & veritatis verborum, Christi Corpus separatim a Sangine, Sanguis a Corpore sub speciebus panis & vini ponuntur, tamquam corpus & sanguis victimæ occi-

sæ.

sæ. Sic enim aptissime repræsentatur cruentum Christi Sacrificium semel in Cruce peractum, quo Sanguis ejus a Corpore realiter separatus est, & Corpus a Sanguine per violentam hujus effusionem.

Quod si alicui non placeat in hac repræsentatione constituere veri hujus essentiam Sacrificij: in omni tamen sententia uti illa potest ad divinæ passionis mortisque memoriam, saltem accidentaliter ex Christi institutione cum eodem conjunctam. Nulla enim magis expressa, aut humanæ necis aut victimæ jam mactatæ imago; quam si uno in loco corpus, in altero separatim totum sanguinem exponas; ut exemplo Agni Apocalyptici in cœlo stantis quasi occisi amplius declarabitur c. 7. ad *Agnus Dei*.

§. I.

De Persona, quam Sacerdos hic sustinet.

HOC præcipue loco Sacerdos illud S. Ignatii (a), in Epistola ad Ephesios sibi dictum existimet, *Estote Ministri Dei, & Os Christi*: ut enim optimè observat S. Ambrosius l. 4. de Sacramentis c. 4. *reliqua omnia, quæ dicuntur, laudem Deo deferunt: oratio* pre-

(a) *Epist.* 14.

præmittitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris: ubi venitur ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Hinc non aliter, quam si ipse esset Christus, ait: *Hoc est Corpus meum: Hic est Calix Sanguinis mei.*

Consideret igitur, cujus hic personam exibeat, nec vultum tantum, oculos, manus ed ejus dignitatem & majestatem componat, quod & histriones norunt, quando licet sint vilissimi, ementito habitu Regem aut Cæsarem in theatrum deferunt: sed præsertim suppares Salvatori animos induat, eaque in Deum religione, in eundem ac proximum charitate, devotione & mentis elevatione hoc Sacrificium offerat, qua Christus idem obtulit in ultima Cœna, vel etiam in Cruce: quantum tamen mortalibus ejus sequi vestigia passibus haud æquis conceditur.

Cogitet etiam hic sese in nobilissimo Sanctorum Angelorum versari theatro: nam, teste Chrysostomo (a) *per id tempus & Angeli Sacerdoti assident, & cælestium potestatum universus ordo clamores excitat, & locus Altari vicinus, in illius honorem, qui immolatur, Angelorum choris plenus est.* Qui oculatissimi spectatores omnia interna Sacerdotis & externa considerant, statimque

(a) *l. 6. de Sacerd. c. 4.*

que notant, si quid in illis dissonum sit a persona, quam sustinet. Sed mentis oculos maxime in Christum totamque Sanctissimam Trinitatem omnia intuentem intendat, & ab occulto præcone (Angelorum scilicet assistentium aliquo) illud sibi inclamari intelligat, *Hoc age*.

§. II.

De Consecratione Corporis Christi.

QUid porro Sacerdoti agendum in Consecratione panis præscribitur verbis sequentibus, *qui pridie quam pateretur*, *&c.* Quorum alia præambula sunt ad Consecrationem, & a Sacerdote proferuntur historice, & recitative: alia vim Consecrationis continent, atque etiam personaliter & enunciative dicuntur. In historicis refertur, quo pacto Dominus noster hoc Sacrificium instituerit, Patrique obtulerit in ultima Cœna: ut *inspiciat* Sacerdos, *& faciat secundum exemplar*; idque tam perfectum, & singulare, ut ad imitationem, neque quoad oculos, & manus, neque quoad verba quicquam desideretur. Per consecratoria Sacrificium peragitur, utraque compendio explicanda.

Priorum initium est, *qui pridie quam pateretur*. Is namque *dilectissimus Pa-*
tris

tris Filius Dominus noster Iesus Christus, cujus sub finem prioris orationis meminimus, apud Patrem: is inquam, pridie suæ Passionis, cum adversus eum pararemus vincula, flagella & Crucem, paravit nobis salutarem hanc mensam, hostiamque instituit, quæ non cætera tantum scelera, sed immane etiam illud adversus ipsum sacrilegium, & plus quam paricidium expiaret. *Accepit autem panem*, ut disceremus hanc victimam haud minus animabus fore necessariam utilemque, quam corporibus panem: *in sanctas & venerabiles manus suas*; ex quarum solo contactu nobis venerationi esse deberet, etiamsi majora abessent mysteria *Et elevatis oculis in cœlum*; tum ut doceret nos universas animæ nostræ cogitationes & vires, dum hæc geruntur, a terra in cœlum transferre; tum etiam ut tanti operis, quod erat patraturus, primam causam authoremque agnosceret *Patrem suum Omnipotentem*, quem esse in cœlis, dicere nos & cogitare in Oratione sua docuerat. Deinde præmissa *gratiarum actione*, quam alias quoque ante insigniora miracula præmittere consueverat, ut in multiplicatione panum, & Lazari resuscitatione, *Benedixit*, sive consecrando, ut aliqui volunt, sive potius bene precando; & divinam omnipotentiam super panem invocando, ut præsto es-

fet,

set, & jam, & futuris Sacerdotum consecrarionibus. Post hæc *fregit* panem, vel jam consecratum, vel potius mox consecrandum, *deditque discipulis suis, dicens: Accipite, & manducate ex hoc omnes.*

HOC EST ENIM CORPUS MEUM.

Hæc tandem miranda potentissimaque sunt verba, quibus in persona Christi à Sacerdote prolatis, cœli fores aperiuntur, & annuente æterno Genitore è sinu ejus Unigenitus descendit: atque ille Rex gloriæ desideratus cunctis gentibus, quem cœli cœlorum capere non possunt, in ara se sistit, & sub exiguæ hostiæ involucris inter Sacerdotis manus collocatus amabilissimo ore totique humano generi propitio dicit, *Ecce adsum*. Est quidem solum Christi Corpus, cujus præsentiam speciali jure ad sui veritatem sacra verba deposcunt: sed illud arcano nexu, aureaque veluti catena, & divinissimum Sanguinem & sanctissimam Animam, atque ipsam Divinitatem, omnesque cœlorum delicias, & gratiarum thesauros secum trahit.

Non est animus veritatem hanc Catholicam à sanctis Evangelistis (a) commemoratam, & à D. Paulo (b) repetitam pluribus demonstrare, aut contra Novatores propugnare: *procul profani* à tan-

(a) *Matth.* 26. *Marc.* 14. *Luc.* 22.
(b) 1. *Cor.* 11.

à tantis mysteriis, vel ut sacra magis formula utar, *foris canes* (*a*). Neque præsentis est instituti, ut scholastica subtilitate mirabilem illam transubstantiationem & sacramentalem præsentiam, aliorumque mirabilium memoriam, quæ in hoc Sacramento abscondita sunt, perscrutemur: magis amat ad aras noster Redemptor simplicem fidei oculum, quam sublimium speculatorem intellectum. Primum igitur hoc obsequium Christo Domino sua nos præsentia dignanti exhibeamus: credamus simpliciter verbis ejus, eaque *in illa propria & apertissima significatione, quam* ut Tridentinum loquitur (*b*), *præ se ferunt, & secundum quam à Patribus intellecta sunt*, verissima fateamur. Ideoque sepositis fictitiis, & imaginariis tropis, *hoc*, scilicet *id quod sub specie panis offertur*, (interprete eodem Concilio) (*c*), atque adeo continetur, vere ac reipsa esse *Christi Corpus*, firmissime teneamus.

§. III.

(a) *Apoc.* 22. (b) *Seff.* 13. *c.* 1.
(c) *Seff.* 13. *c.* 4.

§. III.

De ejusdem adoratione, elevatione, & religioso contactu.

POsita hac fide, nullus dubitandi locus relinquitur, quin tantæ Majestati, quamvis sub specierum velamentis latenti Latriæ cultum, qui vero Deo debetur, exhiberi oporteat. Ut enim utar ratione Concili Tridentini (*a*), quæ hic latet Majestas, idem ille est Deus, *quem Pater introducens in orbem terrarum, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei, quem Magi procidentes adoraverunt: quem denique in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse, Scriptura testatur* (*b*): eandem igitur venerationem exigit. Quam, ut reddat Sacerdos, postquam jam iterum per Consecrationis verba, Dei Unigenitum in orbem terrarum introduxit, una cum Angelis altare circumambientibus, cum præsertim & ipse sit Angelus, aut certe esse debeat, Numinis præsentiam agnoscit, & genuflectens quam potest submississime ac religiosissime omnium Dominum adorat.

Tunc vero toti etiam populo adoran- dum

E

(a) *Seß.* 13. *c.* 4.
(b) *Psal.* 96. *Hebr.* 1. *Matth.* 2. 28. *Luc.* 24.

dum proponit elevata super caput hostia, non solum ad commodiorem adorantium adspectum: verum etiam in venerationis ac submissionis argumentum. Apud plurimas enim nationes, ac præsertim Orientales in usu positum, ut quæ singulari cultu prosequi volunt, si ita res ferat, capiti imponant, quasi se suaque omnia illi submittentes. Simul Christum repræsentat *exaltatum a terra* (*a*), in Crucem, omniaque ad se trahentem: & è cœlis Angelos, & in terris mortales, quin ipsos etiam inferos. Ita procurante Patre, ut in nomine Jesu, ubicumque fuerit, etiam in altari, *omne genu flectatur cœlestium terrestrium, & infernorum* (*b*). Denique Ecclesiæ, pro qua apud Deum legatione fungitur, ejus veluti gestæ rationem reddens, ostendit quam *magna & pretiosa* (*c*) è cœlo retulerit dona: quæ volentibus frui ad omnem salutem & beatitatem deserviant.

Mira sane *benignitas, & humanitas Salvatoris nostris* (*d*), quod vel semel populi venerationi exhibitus è Sacerdotis manibus non evolet, rectaque via Empyreum cœlum glorioso debitum corpori uno impetu petat. Sed placet diutius *divitias sui erga homines amoris*, quas in hoc Sacramento *effusas* Tridentinum

(a) *Ioan.* 12. (b) *Philipp.* 2.
(c) 1. *Pet.* 2. (d) *Tit.* 3.

tinum (*a*) testatur, nobiscum communicare. Reponi ergo à Sacerdote in altari se sinit, ejusque manibus sæpius contrectari.

O quam puras decet esse ejus manus, quantis meritis graves, quæ sub candidis panis exuviis cœleste illud pignus attrectant! Vidit quondam Isais (*b*) *unum de Seraphim* non manu, sed *forcipe tulisse* calculum de altari: cur autem forcipe? Non erat periculum, ne ignis læderet angelicas manus: sed præ religione, ac reverentia, prunam Deo sacram aliter contingere Seraphinus non audebat. Quo forte exemplo Christianos in Græcia Sacerdotes argenteis olim aureisque forcipibus usos legimus, quas ad cœlestem hanc prunam ex altari capiendam exhiberent. Utinam uniuscujusque manus Sacerdotis, quibus sacrum Domini Corpus attingit, sint Seraphicæ forcipes! Utinam auro charitatis fulgeant, & cæterarum splendore virtutum, veluti gemmarum coruscent!

Hujusmodi reor fuisse manus magni illius Conradi Eginonis, Apostolici per Germaniam Legati, cujus digiti, quibus sacrosanctam hostiam sub Sacrificium attrectabat, ea luce splendere soliti, ut ad legendum, scribendumve,

(a) *Sess.* 13. *c.* 2. (b) *Isa.* 6.
(c) *Spondanus an. Christi* 1225.

etiam obscura nocte, lucernis aliis non esset opus. Traxerant hanc lucem à religiosissimo contactu Domini Corporis: ut olim Moses *gloriam vultus à consortio sermonis Domini* (*a*). Nisi malis internæ radios sanctitatis, qui aliorum aliquando Sanctorum illustrant faciem, ex hujus digitis promicuisse; quod inter sacrificandum in hos maxime anima se diffunderet, & vi amoris ac religionis impetu per digitos quodammodo erumpere, Dominumque suum amplecti, cum eoque conjungi gestiret.

§. IV.

De Consecratione Sanguinis Christi.

LIberalissimus noster Dominus, haud contentus se semel Patri pro nobis obtulisse sub accidentibus panis, iterum sub vini speciebus se offert: eundem quidem quem prius, sed nova verborum forma, novo item titulo religionis atque amoris. Religio quippe erga Patrem integrum postulabat Sacrificium, quod nonnisi sub utraque specie exhibetur; erga nos amor completum volebat spirituale convivium, quod non solo cibo, sed potu etiam spirituali constat. Quem futurum suum Sanguinem lu-

(a) 2. *Cor.* 3. *Exod.* 24.

luculenter antea promiserat, cum diceret (a); *Caro mea vere est cibus, & Sanguis meus vere est potus*. Accedebat perfecta repræsentatio mortis Christi: de qua cum initio hujus capitis dixerimus, reliquum est, ut sacrosancta verba paucis exponamus.

Nec opus hærere in præambulis, quæ *simili modo* gesta, atque ante consecrationem panis, similiter quoque explicantur: excepto quod hic addatur, *postquam cœnatum* est, quod de cœna legali, qua Christus agnum paschalem cum discipulis comederat, debere intelligi colligitur ex Tridentino (a) Sess. 22. ubi præsentis Sacrificii institutionem describens, ait Christum *celebrato veteri pasca, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Israel immolabat, novum instituisse pasca, se ipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem*: concinitque Ecclesia in festo Corporis Christi.

Post agnum typicum expletis epulis
Corpus Dominicum datum Discipulis,
Ejusque rationem paulo post reddit,
Dat panis cœlicus figuris terminum.
Omitto disputationem scholasticam, an præter cœnam legalem præcesserit etiam communis cœna. Post priorem cer-

(a) *Ioan. 6.* (b) *Sess. 22. c. 1.*

te accepit Christus *hunc præclarum calicem*, eundem scilicet, quem accipit Sacerdos, ratione ejusdem sanctissimi Sanguinis, qui finita Consecratione in Calice continetur. Calicem vere *præclarum*, quo epitheto tot ante sæculis eum decoravit regius Vates, cum mensam Eucharisticam spiritualiter inebriantem describens, exclamavit (a): *& calix meus inebrians quam præclarus est!*

Sequuntur verba Consecrationis, *Hic est enim calix Sanguinis mei*, quæ ex S. Luca (b), & Apostolo (c) desumpta æquivalent illis ex Matthæo (d), & Marco (e), *Hic est Sanguis meus*; sive per metonymiam ponatur continens pro contento: sive per hypallagen *calix Sanguinis* accipiatur pro Sanguine calicis: quomodo vulgo dicimus effundi vas aquæ, vel calicem vini: quando aqua vel vinum contentum effunditur. Maluit autem Ecclesia ex pluribus formis æquivalentibus præscribere supradictam: quia per *calicem Sanguinis* magis expresse significatur Sanguis, ut in Passione effusus, & jam potabilis, quam per verba alterius formæ. Atque hæc verba (excepta particula *enim*, quæ solius connexionis causa apponitur) vel iisdem synonyma, in omnium sententia necessaria, & essentialia sunt ad va-

(a) *Psal.* 22. (b) *Luc.* 22. (c) 1. *Cor.* 11. (d) *Matth.* 26. (e) *Marc.* 14.

valorem Consecrationis: an vero sola, ut plures volunt, an cum sequentibus, vel quibusdam eorum, adhuc lis est sub Iudice hic minime determinanda. Cæterum licet non omnia verba hujus formæ, quæ ut a Christo dicta recitantur, habeantur in Scripturis: *credimus tamen*, inquit Innocentius III. *quod formam verborum, sicut in Canone reperitur, & a Christo Apostoli, & ab ipsis acceperint eorum successores.*

Ad cæterorum quoque verborum sensum quod attinet, placebit, opinor, si ejusdem Innocentii III. de hac forma consulti explicationi insistamus: Capite enim supra citato ait, cum in textu Evangelico tantum ponatur *novi Testamenti*, hic interponi *æterni*: tum quod novum Testamentum, sive promissio, quæ Christi Sanguine sancitur, non temporalia concernat bona, sicuti vetus faciebat, sed æterna: tum etiam quod illæ solæ voluntates testatoris immobiles, æternæque existant, quæ novissimæ sunt, ejusque morte confirmantur: quod Christi testamento convenire ibidem ex Apostolo probat. Addit calicem hunc dici *mysterium fidei, quoniam aliud ibi creditur, quam cernatur; & aliud cernitur, quam credatur: cernitur species vini, & creditur veritas Sanguinis Christi, ac virtus unitatis &*

(a) *Cap. Cum Martha, de celebr. Miss.*

& charitatis. Atque hæc ex Innccentio.

Postrema formæ verba, *Qui pro vobis & pro multis effundetur in remissinem peccatorum*, ab aliis intelliguntur de mystica effusione Sanguinis in præsenti Sacramento, ab aliis de effusione reali in cruce: quidni cum pluribus de utraque iutelligamns? Dicitur autem effundendus *pro multis*, quoad efficaciam; etsi pro omnibus, quoad sufficientiam: nisi malis per *multos* intelligere omnes: quia sunt multi. Additur, *in remissionem peccatorum*: teste enim S. Ioanne (*a*), *Sanguis ejus emundat nos ab omnibus peccatis*. Ad quod præsignificandum etiam in lege veteri *omnia in sanguine mundata, & sine hujus effusione non factam remissionem*, videre est in Epistola ad Hebræos c. 9.

§. V.

Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.

EST ea ac semper fuit magnificentia divina, pro summis in nos collatis beneficiis nihil reposcere, præter eorum memoriam: abjectissima vero ingratitudo nostra, omnium oblivisci. Nota sunt eximia Dei benefacta in populum Hebræo-

(*a*) 1. *Ioan.* 1.

bræorum suæ familiæ primogenitum: *Non fecit taliter omni nationi* (a): nihilominus *non fuerunt memores multitudinis misericordiæ ejus* (b). Idque in gentis illius opprobrium haud immerito vertit D. Bernardus serm. 11. in Cantica, ubi erga Deum gratitudinem commendans, *nolo*, inquit, *vos Iudaico notari opprobrio, de quibus Scriptura testatur, quod non fuerint memores benefactorum ejus, & mirabilium, quæ ostendit illis*.

Quod Iudaicum opprobrium ut à suis Cristianis Salvator averteret, non solum in jugi, quod instituit, Sacrificio, suæ Passionis, unde reliqua beneficia profluxere, imaginem, ea qua supra dicebamus ratione, adumbravit: verum etiam ut in illam mentis oculos intenderent, hisce mandavit verbis (c): *Hoc facite in meam commemorationem*, quæ paulo aliter ex Apostolo ad Canonem accommodata, eundem tamen sensum habent: qui scilicet in festo Corporis Christi hoc rhytmo redditur.

Quod in cœna Christus gessit,
Faciendum hoc expressit
In sui memoriam.

Atque hinc factum, ut tam præsens Sacramentum, quam Sacrificium dicatur Eucharisticum, quasi gratitudinis ergo in-

(a) *Psal.* 147. (b) *Psalm.* 105.
(c) *Luc.* 22.

institutum. Prima enim, eaque præcipua gratitudinis pars in memoria beneficiorum consistit, tanquam cœterorum officiorum, quæ benefactori debentur, fundamento. Quemadmodum, & suprema ingratitudo in beneficiorum oblivione ponitur: cujus rei causam quidam (a) e sæculi Sapientibus attigit, *quia nunquam fieri gratus potest, cui totum beneficium elapsum est*. De genuflexione, & elevatione Calicis, quæ illius mandati recitationem excipiunt, videantur dicta §. 3.

CAPUT V.

De parte Canonis sequente Consecrationem.

FErunt (b) Henricum III. Angliæ Regem, qui quotidie tres Missas cum cantu præter alias privatas audiebat, petente aliquando S. Ludovico Galliarum Rege, *cur tot Missis, & non frequentius concionibus vacaret?* hoc dedisse responsum, haud minus urbanitatis, quam prudentiæ pleuum, *se malle amicum suum sæpius videre, quam de eo loquentem, licet bona dicentem, audire*. Haud aliter, si Christum ames, de hac Sacrificii parte senties, o Sacerdos,

(a) *Sen. l. 3. de ben. c. 3.*
(b) *Spond. & Bzou. in Annal. an.* 1272.

dos, eamque tum ceteris ejus partibus, tum aliis rebus divinis jure ac merito antepones: quod hic tandem salutari suavissimaque ejus præsentia tibi detur frui, de quo alibi tam magna, & eximia, sive à Prophetis prædici, sive ab Evangelistis commemorari, sive etiam ab Angelis prædicari accepisti. Amabis autem Christum, si dignè, utque oportet, hisce mysteriis opereris: charitatis enim vestem hæ postulant nuptiæ, nec alius quam amoris ignis hoc holocaustum succendit. Brevis quidem amanti est hujus præsentiæ mora; sed quam felix & fructuosa, si recte uti noris! Quod a Christo dictum, (a). *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi*, id de ejus in altari præsentia dictum existima: hac enim durante, lumen suum, & Numen Christus spargit, & in modum benefici Solis cœlestes gratiarum radios, tum in omnem partem, tum maxime in circumstantes, atque ipsum Sacrificantem diffundit: quibus & pietatem eorum illuminari, & charitatem inflammari necesse est: dummodo tamen non diligant magis tenebras, quam lucem. Id ne fiat, eorum, quæ sequuntur, consideratio juvabir.

(a) *Ioan.* 9.

§ I.

De Oratione, Unde & memores nos servi tui.

POST memoris animi præceptum, e sacris tabulis recitatum, eum tum suo & ministrorum, tum populi nomine profitetur Sacerdos: memorem inprimis Dominicæ *Passionis*, quam merito *tam beatam* vocat; quoniam nobis ab illa omnis beatitudo tam præsentis vitæ, quam futuræ veluti è fonte promanant: *nec non & ab inferis Resurrectionis, sed & in cœlos gloriosæ Adscensionis*; in quibus duobus mysteriis quidnam momenti ad salutem nostram consistat, ut præ cæteris commemorari oporteat, diximus c. 1. §. 10.

Horum autem memoria est Deo gloriosissima: quippe per quam testemur eum esse horum omnium mysteriorum donorumque authorem: quę cum supernaturalia sint, longe magis divinam omnium omnipotentiam & bonitatem commendant, quam alia Dei opera, etiam cœli terræque creatio. Si enim, teste Augustino (*a*), *gratia Dei non solum omnia sydera & omnes cœlos, verum etiam omnes Angelos supergreditur*, quid de lumine gloriæ, quid de hypostatica unio-

(a) *L. 2. ad Bonif. c. 6.*

nione, omnibusque aliis promissis, & donis, quæ D. Petrus (*a*), *maxima & pretiosa* antonomastice vocavit, sētiendum?

Nec nudam modo memoriam vacuamque adferimus, sed cum *hostia*, quæ *tam præclaræ Majestati*, ejusque beneficiorum magnitudini sufficiat: cum *hostia pura*: quam Dominus per Malachiam (*b*) nomini suo *in omni loco* offerendam prædixit: cum *sancta*, quam *Pater sanctificavit* (*c*), & *unxit oleo* hypostaticæ unionis, *præ consortibus suis* (*d*): cum *hostia immaculata*, quippe quæ simul est Sacerdos, & *Pontifex*, *sanctus*, *innocens*, *segregatus à peccatoribus* (*e*) denique cum *pane vitæ æternæ*, de quo ipse Salvator (*f*); *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*; & *calice salutis perpetuæ*. Nam totum hoc Sacramentum esse quoddam *pignus futuræ gloriæ, & felicitatis*, docemur in Tridentino (*g*), & in oratione Ecclesiæ, quæ præscribitur in festo Corporis Christi, *fac nos divinitatis tuæ sempiternæ fruitione repleri; quam pretiosi Corporis & Sanguinis tui temporalis perceptio præfigurat*.

Nec

(a) 2. *Pet.* 1. (b) *Malach.* 1.
(c) *Ioan.* 10. (d) *Psalm.* 44.
(e) *Hebr.* 7 (f) *Ioan.* 6.
(g) *Sess.* 12. c. 2.

Ne vero tanto antidoto, divinisque beneficiis pari nobis quidpiam arrogemus, & quasi *cum Deo compositi* (*a*), ex æquo certare, & *justificari* videamur, additur in Canone, *de tuis donis ac datis*: ac si cum Davide (*b*) diceret Sacerdos, *Quis ego ac populus meus*, ut hæc tanta munera offeramus? *Tua sunt omnia*, & *quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi*. Quare tantum abest, ut veterum beneficiorum nomina dissolvamus, ut accessione novorum ea plurimum crescant: atque ita semper divinæ Majestati obstrictissimi simus.

§. II.

Supra quæ propitio ac sereno vultu &c.

CUM nihilominus, Tridentino teste (*c*) *tanta sit Dei erga nos bonitas, ut nostra velit esse merita*, (Sacrificia hic dicamus) *quæ ipsius sunt dona*: neque aliud creaturæ erga creatorem conditio ferat: rogamus usitata apud sacros authores methaphora, *ut propitio ac sereno vultu ea respicere dignetur*; sicuti trium sibi charissimorum in veteri lege munera sacrificia-que

(a) *Iob.* 9. (b) 1. *Paralip.* 29:
(c) *Seff.* 6. *c.* 16.

que respexit, *& accepta habere*. Quod ut sano sensu intelligatur,

Notandum, in præsenti munere, seu Sacrificio, reperiri duo, rem ipsam oblatam, & actionem offerentis: hanc iterum distingui in actionem offerentis principalis, quem Tridentinum (a) docet esse ipsummet Cristum, & in actionem offerentis ministerialis, qui est Sacerdos ex hominibus assumptus, ac suo etiam modo ipse populus. Quoties porro novæ Legis Sacerdos à Deo gratiam & benedictionem suo Sacrificio petit, non considerat illud ut in re oblata consistit; neque ut in actione principalis offerentis; sed ut dicit actionem, qua Minister vel populus illud offert. Etenim res oblata est ipse Filius Dei, de quo vox cœlestis (b) *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*; cui nemo hominum vel Angelorum quidpiam gratiæ vel benevolentiæ apud Patrem suis precibus adiicere præsumat. Pari supra preces & benedictiones nostras eminentia gaudet ejusdem Christi oblatio. Sed oblatio Ministri ac populi, benedictione, & gratia indiget, atque hanc suis precibus Sacerdos implorat. Quo enim victima, quæ offertur, in majori est pretio, & amore apud Patrem, eo gravius delinquunt, qui haud pro dignitate illam tra-

(a) *Sess.* 22. *c.* 4. (b) *Matth.* 3.

tractant. *Nec appendit Deus*, inquit alicubi D. Gregorius, *quantum in ejus Sacrificio, sed ex quanto offeratur:* quod utinam in tantæ hostiæ oblatione ad eam saltem religionem charitatemque adscendat, qua *Abel*, *Abraham*, *Melchisedech*, victimas longe inferiores obtulerunt!

Horum autem præ aliis memoria celebratur, non solum quod eorum sacrificia fuerint quædam figuræ, sive, ut cum S. Augustino (*a*) loquar, *prophetiæ futuræ victimæ, quam Christus obtulit*, & adhuc in altari offert: verum etiam Sacerdotem sui muneris admoneant, ut dum suæ oblationi parem cœlo gratiam ac favorem exoptat, parem quoque cum Abele innocentiam, cum Abrahamo fidem, cum Melchisedech religionem conjungat. Ob innoxium illum, gratumque Cœlestibus candorem *respexit Deus ad Abel, & munera ejus* (*b*). Magni vero illius Patriarchæ obedientia & fides, quam tum alibi sæpe, tum præsertim usque ad mortem dilectissimo filio inferendam demonstravit, hoc inter alia præminm retulit, ut *in semine ejus* omnes nationes benedictionem sint consecutæ. Sua denique Melchisedecum religio ad eam gloriam evexit, quam multis capitibus celebravit Apostolus in

Epist.

(a) *l.* 20. *cont. Faust. c.* 18.
(b) *Genf.* 4.

Epist. ad Hebr (*a*), similitudinem nimirum cum Filio Dei. De quo quia, eodem Apostolo testante (*b*), *grandis est sermo, & ininterpretabilis ad dicendum*, omissis cæteris, illud unicum à novæ legis Sacerdotibus notatum velim, Melchisedech ab Apostolo proponi *sine patre, sine matre, sine genealogia:* non quod unus de beatis Spiritibus fuerit, ut Origenes, aliique putarunt; sed quod de parentibus, genereque quod habuit, sicut & de initio ejus & fine, nulla in sacris Literis memoria extet. Quod mysticum Scripturæ silentium, præterquam quod insigni emblemate Christi Sacerdotium repræsentet, tacite nos monet, ut quisquis est *Sacerdos Dei Altissimi* (*c*), etsi secundum conditionem humanam in mundo vivat, immemor tandem mundi, rerumque in eo charissimarum, etiam parentum ac generis, soli Deo, suoque apud eum officio vacet: haud aliter ac si præter Deum & ipsum nihil in mundo existeret; aut certe nullius cura, nisi quam Deus mandat, ad ipsum pertineret.

Hunc Canonis paragraphum hæc claudunt verba, *Sanctum Sacrificium, immaculatam hostiam*: multi ea referunt ad Sacrificium Melchisedech, de quo proximus sermo præcessit; sed melius alii

(a) *c.* 5. 6. 7. (b) *c.* 5. (c) *Gen.* 14.

alii per Appositionem conjungunt cum initio paragraphi, ut sensus sit: Supra quæ dona, quæ sanctum hoc Sacrificium & immaculatam hostiam constituunt, respicere digneris. Est quidem inter ea magna interiectio: sed quæ sacræ orationi gravitatem & magnificentiam addat. Quam opinionem suadet, quod prædictam clausulam sacro Canoni addiderit Leo I. ut retulimus c. 3. sub initium: in solo autem Sacrificio Melchisedech non apparet ratio tam prægnans addendi aliquid Canoni, sed in Sacrificio Christiano. Nihil quippe efficacius ad divinam erga nos misericordiam commovendam, quam sanctitas & innocentia Filii, qui pro nobis immolatur. Quare Pontifex non contentus utramque fuisse in præcedentibus semel commemoratam, ad majorem emphasim atque affectum repeti curavit, iterumque Patri quasi per modum recapitulationis repræsentari.

§. III.

Supplices te rogamus, Omnipotens Deus, &c.

HAud à veritate abluserit, qui ad aram, quando sacrificatur, objecerit animo mysticam Iacobi scalam, quæ cœlum terræ, divinaque humanis con-

conjungat, & Angelorum, nunc ad Regi suo inserviendum descendentium in terram, nunc in cœlum, ad vota hominum deferenda adscendentium, viam non tam faciat, quam designet. Quo pacto sub Sacrificii tempus descendant, vidimus cap. 4. §. 1. In præsenti oratione eorum adscensum imploramus. Cumque aulicis injussu Regis, cui honoris, servitiique causa assistunt, abire non permissum: rogamus Deum, atque una Christum, ut adscensum illis mandet; quo Sacrificia & vota hic a nobis oblata, ad sublimius cœlorum altare exhibeant. Sed quodnam, inquies, hoc Angelorum officium? quod illud sublime altare? quis sanctus iste & singularis Angelus, qui præ aliis huic ministerio præest?

Quod spectat ad primum: pinguiori Minerva id conciperet, qui existimaret, aut Christi Corpus & Sanguinem reipsa ab Angelis deferri in cœlum, aut non aliter ad Deum pervenire Sacrificia nostra & vota, quam Angelis qualecunque tandem officium circa ea præstantibus. Beatos illos Spiritus preces nostras, Sacrificiaque perferre in cœlum (quod ab illis fieri, in Scripturis (*a*) discimus) in duobus præsertim officiis consistit, quæ benevolentissime & fructuosissime humano generi impendunt. Pri-

(a) *Tob.* 3. *&* 12. *Apoc.* 5. *&* 6.

Primum est, quod suas cum nostris preces & oblationes conjungant; ut nostræ minus dignæ & efficaces, illarum consortio suppleantur & adjuventur; atque ita per hosce gratiosissimos apud Deum patronos tam publicæ, quam privatæ causæ, quas Sacerdos cum Deo tractat, magis promoveantur, & feliciores exitus consequantur. Alterum est, quod cum sciant Majestatem divinam, servato hierarchico ordine, inferiora per superiora, hominesque per Angelos gubernare; illius conspectui se sistant, parati ad excipiendum & exequendum, quidquid divina bonitas, auditis Ecclesiæ precibus, ad hujus & fidelium bonum imperarit. Nec se solum promptissimos ad hæc exhibent: sed pro sua erga nos benevolentia, ultro ea prænsant, sibique committi deposcunt; ut hac ratione divinam misericordiam magis provocent; & ad nobis benefaciendum invitent.

Utriusque igitur officii causa, annuente Numine, revolant Angeli in empyreum cœlum, qui ordinarius est locus, ut divinæ gloriæ manifestandæ, ita hisce quoque officiis per Cœlites obeundis destinatus. Idque tandem est sublime illud & spirituale altare, cujus in hac oratione Ecclesia meminit, imitata divinas literas, quæ nobis in Apoca-

calypsi (*a*) idem cœlorum penetrale, ubi spirituales orationum victimæ offeruntur, per modum altaris describunt. Modum autem, quo officium illud Angelicum peragitur, nescio an melius exprimere possimus, quam ex S. Chrysostomo (*b*), quem ajunt Angelorum conspectu in tremendis hisce mysteriis sæpius fuisse dignatum. Is enim præmisso exemplo hominum Imperatori supplicantium, ramosque olearum prætendentium ad commovendam ejus misericordiam & humanitatem, hæc subdit de Angelis: *Pro ramis oleæ ipsum Domini corpus ostendentes rogant pro genere humano, quasi dicant, pro his, Domine rogamus, quos tu adeo dilexisti, ut pro eorum salute mortem obires &c.*

Ex quibus colligitur Angelum illum, cujus hic speciatim fit mentio, non esse Christum Dominum, ut aliqui volunt, quod *Angelus testamenti, magnique consilii* subinde à Scriptura nominetur: cum enim possimus sine incommodo in significatione propria vocem *Angelus* accipere, non est ad metaphoras confugiendum. Præterquam quod minus decet, ut à Christo præsente aliquid obtenturi, rogemus Patrem, ut eum id facere jubeat, v. g. nostri misereri: & par est ratio in præsenti officio. Est itaque

(a) *Apocal.* 8.
(b) *Hom.* 3. *de incomp. Dei natur.*

que ex cœlestibus spiritibus aliquis, cui ex officio incumbat, Sacrificanti adesse, eum juvare ac dirigere, ejus preces Deo offerre: sive sit ipse Angelus custos Sacrificantis, sive præses templi, aut altaris, sive alius ad id à Deo constitutus. Quamvis autem unicus sit, qui præcipue, atque ex officio id agat: credibile tamen est, eum haud incomitatum legationem obire, aliis in ascendentium locum ad Christi venerationem & obsequium è cœlo delabentibus: neque enim unquam ultro citroque commeantibus Angelis mystica vacat scala, quam initio vidimus ad altare erectam.

Finis porro hujus Angelicæ missionis explicatur in Canone hisce verbis: *Ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui Corpus & Sanguinem sumpserimus, omni benedictione cœlesti, & gratia repleamur.* Additur clausula, *Per Cristum Dominum nostrum:* hic enim est, in quo Pater, ut testatur Apostolus (a), *omni nos benedictione spirituali in cœlestibus benedicit.* Convenit vero, ut a Consecratione ad Communionem, quoties Christi fit mentio, ejus præsentis ratio singulari affectu habeatur: affectu, inquam, nam in gestu corporis servandæ rubricæ, quæ non nisi in oratione se-

(a) *Ephes.* 1.

ſequenti ad ſimilem clauſulam capitis inclinationem præſcribunt.

§. IV.

Memento etiam Domine famulorum famularumque.

NON ſoli Angeli adſcendunt & deſcendunt per myſticam Jacobi ſcalam; ſed homines quoque Angelici, vitæ mixtæ, quæ ex contemplatione & actione conſtat, addicti. Hi enim, ut præclare ſub hoc ſcalæ ſymbolo tradidit Hugo Victorinus (*a*), *& adſcendunt ſupernorum contemplatione, & deſcendunt compaſſione miſericordiæ*. Quos inter in divino hoc Sacrificio cenſendus jure merito eſt Sacerdos, quando ut mediator Deum inter & homines nunc ad ejus conſpectum & ſublime cœlorum altare attollit cogitationes & vota: nunc terram repetit, omnibuſque ſubveniendi ſtudio, ipſos etiam defunctorum ſubterraneos carceres, ubi aliqua auxilii ſpes ſupereſt, animo ſubit.

Et vero animas, quæ in flammis purgatoriis detinentur, fidelium ſuffragiis ac potiſſimum *acceptabili altaris Sacrificio juvari*, Catholica Eccleſia *juxta Apoſtolorum traditionem* in ſacris Conci-

ci-

(a) *Erud. Theol. c.* 1. *tit.* 27.

ciliis, & novissime in Tridentino (a) nos docet. Quamobrem Sacerdos, sicuti vivorum memoriam ante Consecrationem, ita jam vita functorum Deo commendat: imitatus in hoc Christum, qui cum ante suam mortem (quam Consecratio refert) nostram viventium regionem pertransiisset benefaciendo, post eandem inferos invisit, iisque qui in tenebris & umbra mortis lugebant, optatæ gloriæ lucem intulit.

Dicimus autem, *Memento famulorum famularumque tuarum, qui nos præcesserunt:* ut nimirum nos secuturos animadvertamus, & forte post hoc Sacrificium. Id ergo cum postremum esse [illegible] haud aliter quam si revera fore[illegible], summa animi innocentia & religione obeundum. Refert Origenes (b) Hebræorum Pontificem, eam præcipue ob causam [illegible] tintinnabula in ora extrema tunicæ hyacinthinæ, ut eorum sonitu moneretur resonantis perpetuo rerum extremarum memoriæ: cujus eximium hunc fructum Sapiens promittit (c) *in æternum non peccare*. Haud aliis Christiano Sacerdoti ad suscitandam tantæ utilitatis memoriam tintinnabulis est opus: quam perpetua quoti-

(a) *Sess.* 22. *c.* 2. *& Sess.* 25. *initio*.
(b) *Hom.* 9. *in Exod.*
(c) *Eccli.* 7.

tidianis in Sacris mortuorum commemoratione.

Addimus, *cum signo fidei*, id est, charactere baptismi, quo insigniti ad Christi familiam pertinere dignoscuntur. Sed quia solus character ad fructum Sacrificii percipiendum non sufficit, copulantur hæc verba, *& dormiunt in somno pacis*. Qua metaphora finalis perseverantia, sive mors in statu gratiæ describitur. Cum enim in eo differat somnus à morte, quod hæc omne vitæ principium tollat, ille vero solas vitæ operationes temporali vinculo liget; justi, cum ex vita abeunt, Apostolica phrasi *dormire* dicuntur, quia gratiam retinent, quæ animæ vita, ac beatæ resurrectionis aliquando secuturæ est semen. Hic vero *somnus* licet in animabus purgatorii nondum sit plenæ *pacis*, sive beatitudinis in reipsa: est tamen in infallibili expectatione & spe. Quæ ut tanto citius in rem deducatur, serviunt preces sequentes. *Ipsis, Domine, & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis, & pacis, ut indulgeas, deprecamur, per Christum Dominum nostrum, Amen.*

Ad specialem commendandorum memoriam servire Sacerdoti poterunt, quæ de memoria vivorum insinuavi cap. 3. §. 3. Quo autem majori affectu & cura illis Dei famulis nostra suffragia im-

pendamus, à Christo Præceptore nostro, quem, ut aliquando Ecclesiæ Propheta (*a*) promisit, *oculi nostri hic vident*, illud Christianæ philosophiæ placitum nobis dictari audiamus (*b*) *Prout vultis ut faciant vobis homines*, (brevi forte in eodem purgantis flammæ cruciatu futuris, & quidem propter præsentis Sacrificii negligentias atque defectus) *& vos facite illis similiter*.

§. V.

Nobis quoque peccatoribus.

SCite ad Dioscorum scripsit Augustinus (*c*): ut olim Demosthenes ter rogatus, quid præcipuum esset in oratoria facultate, ter respondit esse Pronunciationem: (alii id referunt de Actione) ita si de præceptis Christianæ religionis rogaretur, semper responsurum, *Humilitatem*. Quod cum in communi Christianorum vita verissimum sit: magis tamen in Sacerdotali, & maxime in præsenti Missæ officio obtinet locum. Atque hinc Ecclesia inter tot alios virtutis hujus indices ritus, Sacrum Canonis silentium tribus hisce voculis interrumpi mandavit: quibus Sacerdos, postquam pro aliorum peccatis Sacrificia obtulit, se

(a) *Isa.* 30. (b) *Luc.* 6. (c) *Epist.* 56.

ſe quoque *circumdatum infirmitate* (*a*), & peccatorem agnoſcat. Non quod ullius peccati mortalis ſibi conſcius exiſtat; procul enim ab aris, quos illius conſcientia gravat, ne percutiat eos Dominus cum Oza (*b*): ſed quod ab Apoſtolo (*c*) didicerit, *Nihil mihi conſcius ſum: ſed non in hoc juſtificatus ſum: qui autem judicat me, Dominus eſt*; & à Sapiente (*d*): *Quis poteſt dicere, Mundum eſt cor meum: purus ſum a peccato*? Mundo quidem corde eſſe quis poteſt, idque probabiliter & prudenter exiſtimare: ſed ea certitudine id dicere non poteſt, quæ omnem formidinem, timoremque excludat, quemadmodum contra *vanam* Novatorum *fiduciam*, *& ab omni pietate remotam*, Tridentinum Concilium (*e*) definivit: ut omittam humilitatem non ſpectare, ad quid per divinam gratiam ſimus evecti: ſed quid naturæ noſtræ relictæ conditio ferat. Quod ex S. Auguſtino expendens Concilium Arauſicanum (*f*) ita veriſſime pronunciavit: *Nemo habet de ſuo niſi mendacium, & peccatum: ſi quid autem habet homo veritatis, & juſtitiæ, ab illo fonte eſt, quem debemus ſitire in hac eremo.*

Ad quem divinæ gratiæ, æternæque

(a) *Hebr.* 5. (b) 2. *Reg.* 6.
(c) 1. *Cor.* 1. (d) *Prov.* 20.
(e) *Seſſ.* 6. *c.* 9. (f) *Arauſ.* 2. *Can.* 22.

vitæ fontem aspirans Sacerdos, post diffidentiam sui ex peccatorum consideratione conceptam, spem erigit in *multitudinem miserationum divinarum*, ex eaque *partem aliquam & societatem cum Sanctis* sibi *donari*, submissimè petit, & *in eorum consortium, non pro meritorum æstimatione, sed veniæ indulgentia, admitti*. Dicitur porro *multitudo miserationum divinarum*, ita præeunte Propheta in Carmine pœnitentiali (*a*), & explicante Ecclesia in Eucharistica oratione: *Deus, cujus misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus*. Nec unam sane alteramve miserationem nobis ad salutem sufficere, facile intelliget quisquis Scholasticam divinorum auxiliorum divisionem in prævenientia, comitantia, subsequentia, eorumque necessitatem non solum ad bene agendum, sed mala etiam cavenda, & in vitæ finem perseverandum, vel extremis labris degustarit. Pars verò, quæ cum Sanctis petitur, nullam ipsorum gloriæ divisionem designat, sed similem sortem, sive hæreditatem: hoc enim sensu pars sæpius sumitur in Scriptura, ut (*b*), *Non est nobis pars in David, neque hæreditas in filio Isai*. Et alibi (*c*): *Non est tibi pars neque sors in sermone isto*. Pia igitur fiducia exercetur communicandi

cum

(a) *Psal.* 50. (b) 2. *Reg.* 20. (c) *Act.* 8.

cum Sanctis in gloria: atque adeo etiam in gratia præsentis vitæ, charitate, religione, cæterisque virtutibus: nam hic etiam locum habet illud Apostoli (*a*), *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur*. *Meritorum* denique *æstimatio*, quam deprecamur, non de bonis justitiæ meritis; quæ in prætio esse apud Deum inter Catholicos constat: sed de malis meritis sive peccatis accipi debet, ut vel ex opposita *veniæ largitione*, quam imploramus, sat liquet. Esse autem tam bona, quam mala merita, probat illud, quod D. Augustinus (*b*) scribit: *S. Paulum post bona merita consecutum coronam, qui post multa mala merita consecutus est gratiam*.

Porro Martyres, qui hic commemorantur, diversi sunt ab iis, quorum specialis memoria ante Consecrationem habita: & quidem omnes, si cum sententia communiori, nomine Ioannis, non Evangelistam, sed illum, quo *inter natos mulierum non surrexit major* (*c*), intelligamus. Atque ita decebat, inter hosce purpuratos partim præcedentes, partim subsequentes, medium veluti apparere Summum Pontificem nostrum. Virginesque quæ hic Martyribus mi-

(b) *De grat. & lib. arb. c. 6.*
(c) *Matth.* 11.

ſcentur, *ſequi Agnum quocumque ierit* (*a*), etiam ad incruentum altare, quæ iuncta Martyrii laurea olim ad cruentum comitari non detrectarunt.

Diſquirunt hic multi, cur cenſeantur eo ordine, numero, delectu: & quorundam rationes probabiles reddunt: ſed ut in aliis, locum forte habet hic illud apud Jureconſultos (*b*) vulgatum, *Non omnium, quæ a majoribus conſtituta ſunt, ratio reddi poteſt:* non quod ratione, qui ita conſtituerunt, caruiſſe cenſeantur; ſed quod plura viderint ſapientiſſimi legum authores, quam aſſequi vulgo poſſimus. Idque præſertim de illis religionis noſtræ Principibus præſumendum, quibus Chriſtus *teſtamentum ſuum ſuper Sacrificia ordinandum* (*c*) commiſit. Datur hic interim, & in ſimilibus ab Eccleſia preſcriptis, Sacerdoti occaſio ſimplicis obedientiæ exercendæ, quæ ſola præcipientis authoritate contenta, haud illubenter ſubinde præcepti rationes ignorat.

§. VI.

(a) *Apoc.* 14. (b) *L.* 20. *D. de leg*
(c) *Pſal.* 49.

§. VI.

Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, &c.

QUI totius Christianæ œconomiæ finis decantatus est ab Angelis (*a*), *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, eundem Ecclesia in hoc Sacrificio ubique sibi propositum habet. Hinc passim precibus divinas miscet laudes, & laudibus preces, ut cum hæ pacem, beatitatemque impetrant, illæ gloriam Deo reddant.

Occasione igitur Christi Domini, per cujus obtestationem more consueto prior oratio concluditur, celebrari mandat omnipotentiam Dei. quam *per Ipsum*, tum in omnium rerum, tum præsertim in præsentium bonorum creatione ostendit. Quo spectant hæc sollemnia verba: *Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis, & præstas nobis*.

Etsi autem per *hæc bona* alii intelligant accidentia panis & vini: alii Corpus & Sanguinem Christi: verisimilius tamen est totum Sacramentum intelligi, ut dicit compositum ex Christi Corpore & Sanguine, ac simul ex visibili-

(a) *Luc.* 2.

bus accidentibus seu speciebus: Hoc enim Compositum, cum sit quid creatum seu factum, à Patre per Christum creari seu fieri debuit: nam Christus est Verbum, *per quod omnia facta sunt* (*a*). Idem quoque Sacramentum Pater per Christum *sanctificat*, *vivificat*, *benedicit*, communicando illi intrisece totam sanctitatem, vitam & benedictionem ipsiusmet Christi: neque enim in eo solum continetur Christi Corpus vel Sanguis, sed cum tota sua sanctitate, tam substantiali, quam accidentali, cùm omni gratia ac benedictione, quam Pater *non ad mensuram* (*b*) Unigenito dedit. Per Christum denique illud nobis *præstat* in spiritualem cibum & potum. Cum igitur Dei honor, æternaque gloria in ejus per creaturas manifestatione consistat; *per ipsum* quoque, per quem omnia facta, est Deo Patri *omnis honor & gloria*: ut eadem via, qua Dei dona ad nos veniunt, ad suum principium revertantur. Nec *per Ipsum* tantum sed simul *cum Ipso*, ob eandem utriusque potentiam, & naturam: nam vere dictum a Filio (*c*): *Ego & Pater unum sumus*. Præterea *in Ipso*, propter circuminsessionem admirabilem Theologis notam, de qua idemmet Christus (*d*), *Ego in Patre, & Pater in*

(a) *Ioan.* 1. (b) *Ioan.* 3.
(c) *Ioan.* 10. (d) *Ioan.* 14.

in me est; & alibi (*a*): *Tu Pater in me, & ego in te*. Additur, *in unitate Spiritus Sancti*, ut significetur, sicuti Spiritui Sancto una est, eademque cum Patre & Filio Divinitas seu natura, ita & eandem per Christum gloriam ad eundem pertinere.

Gratulari hic poterimus toti Sanctissimæ Trinitati illam gloriam per Christum, habendo eam nobis gratam, sentiendo placere; imo bonum nostrum reputando, ideoque haud minus pro ea, quam pro accepto beneficio, gratias agendo: juxta illam orationem, qua Ecclesia sub Missæ initium doxologiam Angelicam supplet, *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam*. Videri possunt, quæ in simili diximus c. 2. §. 3 sub finem. Nec prætereundum, quod Sacerdos hæc dicens, hostiam cum calice elevet: ut sibi quoque & populo ad divini nominis exaltationem, gloriæque amplificationem pro virili connitendum demonstret Concludit vero tum priorem sententiam, tum totum Canonem, hisce verbis, quæ futuram divinæ gloriæ perennitatem significant: *Per omnia sæcula sæculorum*. Profert hæc alta voce, ut Sacerdotis preces approbare populus possit usitato responso, *Amen*.

(*a*) *Ioan.* 17.

CAPUT VI.

De Oratione Dominica, cæterisque usque ad Agnus Dei.

QUid à cœlesti Magistro hic in ara præsenti utilius petamus, quam quod olim ab eodem Discipuli (*a*), *Domine, doce nos orare*? Doce nos non ad carnis aures, sed cordis: non forinsecus sonante doctrina, sed subministratione spiritus, & occulta misericordia: in illa schola remota à sensibus, in qua omnis, qui audivit & didicit, ad te venit. Doce nos orare, quod qui novit in hoc sæculo, & recte novit vivere, & bonis cœlestibus abundare. Id petendi occasionem ultro nobis Ecclesia præbet, dum statim post Canonem, Orationem Dominicam recitandam præscribit: tum ut ea veluti omnium utiliter petendorum summa suppleatur, si quid forte in aliis Canonis, vel totius etiam Liturgiæ precibus desit: tum etiam ut major illis vis gratiaque ad impetrandum accedat. Verissimum quippe est, quod D. Cyprianus in singulari libro de hac Oratione affirmat: *cum dicatur, quia quodcunque petierimus à Patre in nomine ejus, dabit nobis, quanto efficacius impetramus quod petimus in*

(a) *Luc.* 11. *August. de Præd. SS. c.* 8.

in Christi nomine, si petamus ejus oratione? Cui in simili libro de eadem Oratione, altiori stylo prævivit Septimius Tertullianus, quem Magistrum & nominare & sequi Cyprianus consuevit. Postquam enim exposuit, quomodo hæc Oratio paucorum verborum compendiis omnia pæne præcepta Domini complexa, *totius Evangelii* veluti *Breviarium* dici queat, hæc tandem de ejus efficacia subiungit (a): *A Deo igitur ordinata religio orationis, & de spiritu ipsius jam tunc, cum ex ore divino ferretur, animata, suo privilegio adscendit in cœlum, commendans Patri, quæ Filius docuit.*

§. I.

De Procemio Orationis Dominicæ.

COpia hic inopem facit: tot enim ex SS. Patribus, Doctoribus, Theologis, & spiritualis vitæ Magistris, Orationem istam suis commentariis illustrarunt, ut omnia vel potiorum partem complecti, haud parui voluminis foret: meliorum delectum profiteri, solertiæ non vulgaris: sine delectu primum obvia dare prorsus incivile, haud secus, quam si ad incuriosam mensam singulares hospites invitares. Ne tamen Lecto-

F 6 rem

(a) *Tertull. de Orat. Domin.*

rem hinc prorsus jejunum ad alios authores suo forte incommodo dimittam, visum est ex solo fere Cypriano ante laudato aliqua delibare: tum quod S. Hilarius, S. Augustinus, aliique Patres illam ejus commentationem singulariter commendent: tum etiam quod Martyris illius gloriosissimi memoria celebretur in Canone. Quare ejus veluti præsentis potiorem rationem haberi convenit: & sperari potest eum tanto impensius acturum apud Deum, ut Sancto illo Spiritu, quo divinam hanc Orationem exposuit, in hoc eam Sacrificio recitemus, in cujus veluti testem advocatus est. Haud tamen à proposito alienum duxero, si subinde ex gravissimo Tertulliano ad majorem nervum & efficaciam paucula adiungam: hunc enim Cyprianus in hoc præcipue libro sibi imitandum proposuit.

Utque in ipsis etiam præambulis, quando Sacerdos altiori voce se & populum ad orandum excitat, ab inclyto Martyre aliquid discamus: *Oremus*, inquit, *fratres dilectissimi, sicut Magister Deus docuit. Et quid mirum?* (interseram ex Tertulliano) *Deus solus docere potuit, ut se vellet orari.* Pergit Cyprianus: *Amica & familiaris oratio est Deum de suo rogare, ad aures ejus adscendere Christi orationem. Agnoscat Pater Filii sui verba,*

cum

cum precem facimus: qui habitat in pectore, ipse sit & in voce. Haud aliter igitur pius Sacerdos sequentis Orationis proferat verba, quam si ex ore & institutione Christi singula exciperet: atque hinc eam ducat fiduciam, qua servus Dominum, reus Iudicem, creatura Creatorem ausit Patrem suum vocare, quod sic *praeceperit* Magister, cujus *institutionem* jubemur sequi. Absque hoc enim, ut postea subdit Cyprian. *illud nomen nemo nostrum in oratione auderet attingere*.

Pergit idem Antistes nos hortari, *ut quando Patrem Deum dicimus, quasi filii Dei agamus, ut quomodo nobis placemus de Deo Patre, sic sibi placeat & ille de nobis*. Cum vero *nostrum* addimus, memores simus unitatis & pacis, cujus gratia noluerit utriusque Magister, dum quis precatur, pro se tantum privatim precari, dicendo: *Pater meus qui es in cœlis*, nec *panem meum da mihi hodie;* sed pro omnibus, quia omnes in Christo unum sumus. Ut denique, dum nominamus Patrem, nobis esse in cœlis Deum, renunciemus terreno & carnali Patri, atque adeo cæteris etiam rebus mundanis, secundum illud Christi placitum (a); *Patrem nolite vobis vocare super terram: unus est enim Pater vester, qui in*

(a) *Matth.* 23.

in cœlis est. Et illud alterum (*a*): *Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*. Quorum utrumque implemus exuendo omnem inordinatum erga terrena & sæcularia affectum, eaque cœlestibus & divinis postponendo, quippe quorum Pater, atque adeo hæreditas & regnum non hujus sæculi, sed cœlorum existant.

Notandum: licet aliis titulis cum toto genere humano communibus Deum Patrem pronunciare possimus, ut quod nos omnes ratione ac libertate donatos, in vivas & expressas crearit sui Numinis imagines, *à quo paternitas omnis in cœlo & in terra nominatur* (*b*): à D. tamen Cypriano hic præcipuè attendi ad titulum Christianis proprium, qui est regenerationis & justificationis in baptismo, per quam peculiari ratione cœpimus esse filii Dei, iuxta illud Evangelicum (*c*): *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus:* per quem item *Spiritum adoptionis accepimus, in quo Patrem* non vocamus tantum, sed *clamamus*. Unde, inquit Cyprianus, *Pater noster idem est atque eorum, qui credunt, quique per Deum sanctificati, & gratiæ spiritualis nativitate re-*

pa-

(a) *Luc.* 14. (b) *Ephes.* 3.
(c) *Ioan.* 1.

parati: ad quos etiam eam ab causam petitiones omnes sequentes veluti proprias refert.

§. II.

De tribus primis Petitionibus.

PRima omnium est, *Sanctificetur nomen tuum. Non quod optemus Deo*, Ait sanctissimus Antistes, *ut sanctificetur orationibus nostris, sed quod petamus ab eo, ut nomen ejus sanctificetur in nobis*. Rationem mox subdit, *à quo enim Deus sanctificatur, qui ipse sanctificat*? Quam sententiam sic præiverat Septimius (*a*): *Quando non sanctum & sanctificatum est per semetipsum nomen Dei, cum cæteros sanctificet ex semetipso?* Petimus igitur, ut in hominibus sanctificetur. Quod fieri Cyprianus tradit, quando qui in baptismo sanctificati sumus, in eo, quod esse cœpimus, perseveramus. Sed Tertullianus non ad solos renatos, jamque sanctificatos petitionem coarctat, verum ad illos etiam extendit, *quos gratia Dei expectat*, ut sic ad omnes pertineat: *ideo enim*, inquit (*a*), *suspensa oratione, non dicentes, Sanctificetur in nobis, in omnibus dicimus*. Optamus itaque, ut sanctum Dei nomen (quo

(a) *Tertull. lib. de Orat. c.* 3.
(b) *Tertull. sup. c.* 4.

(quo quidquid Deus est & dicitur, designatur) ab omnibus timeatur, ametur, colatur: ut ejus augeatur gloria, ejusque Sanctitas, Sapientia, Bonitas, cæteræque perfectiones ubique innotescant & colantur.

Secundum eandem formam S. Cyprianus exponit petionem sequentem: *Adveniat regnum tuum*, ut nempe non Deo suum regnum, sed nobis Dei regnum precemur: *Nam Deus*, inquit, *quando non regnat? aut apud eum quando incipit, quod & semper fuit, & esse non desinit? Nostrum regnum petimus advenire a Deo nobis repromissum, Christi Saugine & Passione quæsitum, ut qui in sæculo ante servivimus, postmodum Christo dominante regnemus*. In quibus etiam respexit ad illa Tertulliani: *Deus quando non regnat, in cujus manu cor omnium regum est? Sed quidquid nobis optamus, in illum auguramur, & illi deputamus, quod ab illo expectamus*.

Prosequitur Cyprianus: *Bene autem regnum Dei petimus, id est, regnum cœleste, quia est & terrestre regnum. Sed qui renunciavit jam sæculo, major est & honoribus ejus & regno; & ideo qui se Deo & Christo dedicat, non terrena, sed cœlestia regna desiderat. Continua autem oratione & prece opus est, ne excidamus à regno cœlesti, si-*

cu-

cuti Iudæi, quibus prius promi[s]sum fuerat, exciderunt.

Sequitur tertia petitio: *Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra.* In quam haud minori ſapientia, quam eloquentia idem Præſul & Martyr: *Non ut Deus faciat, quod vult; ſed ut nos facere poſſimus, quæ Deus vult. Nam Deo quis obſiſtit, quo minus, quod velit, faciat? Sed quia nobis à Diabolo obſiſtitur, quo minus per omnia noſter animus atque actus Deo obſequatur, oramus & petimus, ut fiat in nobis voluntas Dei, quæ ut fiat in nobis, opus eſt Dei voluntate, id eſt, ejus ope & protectione; quia nemo ſuis viribus fortis eſt, ſed Dei indulgentia & miſericordia tutus eſt.*

Adfert deinde exemplum ipſiuſmet Chriſti, in eandem ſententiam orantis, & Chriſtiana Rhetorica, ad quam à prophana ſe tranſtulit, quænam ſit Dei voluntas, quam Chriſtus & fecit & docuit, pluribus exponit. Adfert denique explicationem figuratam *cœli*, & *terræ*, ut per hanc *caro*, per illud *ſpiritus* intelligatur: quorum hic cœleſtia & divina quærit, ſed caro terrena, & ſæcularia concupiſcit. Verum Tertullianus & alii Patres ſimplicius explicant, ut petamus ita homines in terris obedire Deo, ſicut in cœlo Angeli obediunt.

§. III.

§. III.

De reliquis 4. Petitionibus.

QUam eleganter, ait Tertullianus (*a*), *divina sapientia ordinem orationis instruxit? ut post cœlestia, id est, post Dei nomen, Dei voluntatem, & Dei regnum, terrenis quoque necessitatibus petitionis locum faceret? nam & edixerat Dominus: Quærite prius regnum, & tunc vobis etiam hæc adiicientur*. In quarta igitur petione, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, cibum nobis petimus & victum, & quidem in diem. *Qui enim*, inquit Cyprianus, *Christi cœpit esse discipulus, diurnum debet cibum quærere, nec in longum desideria petitionis extendere, ipso iterum Domino præscribente, & dicente: Nolite in crastinum cogitare* Ejusque rationem mox reddit: *quod & contrarium sibi sit, & repugnans, ut quæramus in sæculo diu vivere, qui petimus regnum Dei velociter advenire*. Quanquam secutus rursus Magistrum, eandem petitionem non tantum *simpliciter* de terreno pane, sed etiam *spiritualiter* de cœlesti & Eucharistico velit intelligi. *Nam panis vitæ Christus est, & panis hic omnium non*

(a) *De Orat. c. 6.*

non est, sed noster, qui Corpus ejus contingimus. Pergit deinde explicare, cur hunc panem ac cibum salutis postulantes nobis dari quotidie, tacite petamus à graviori præservari delicto, ne forte eo intercedente *abstenti, & non communicantes à cœlesti pane prohibeamur*.

Implorata jam Dei liberalitate pro alimentis, ejus etiam Clementiam pro peccatis nostris deprecamur: ut enim gravissime dictum à Tertulliano (*a*): *Quid alimenta proderunt, si illis reputamur quasi taurus ad victimam?* Ut revera reputamur, quamdiu peccatorum debitis premimur. Pro his ergo dimittendis rogamus: & simul salubriter admonemur, quod peccatores simus, ne quis sibi forte quasi innocens blandiatur. Lex vero, ut prosequitur B. Cyprianus, *petitioni adiungitur, quæ certa nos conditione, & sponsione constringit; ut sic nobis dimitti debita postulemus, secundum quod & ipsi debitoribus nostris dimittimus: scientes impetrari non posse, quod pro peccatis petimus; nisi & ipsi circa debitores nostros paria faciamus*. Quam veluti talionis legem in illa petione contineri ipsemet Christus apertissime tradidit, cum ait (*b*): *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum; dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra: si*

(a) *De Orat. c. 6.* (b) *Matth. 6.*

si autem non dimiseritis homi nibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. Quomodo vero remittenda sit iniuria, deponendo ex animo omne odium & inimicitiam erga iniuriæ authorem, non quærendo privatam vindictam, nec communia Christianæ charitatis officia subtrahendo: sed non sit necesse cedere suo juri, quod qui iniuriam tulit, ad debitam satisfactionem, & restitutionem obtinet, explicant Theologi in Tractatu de Charitate.

Sequitur sexta petitio: *Et ne nos inducas in tentationem*, id est, *ne nos patiaris induci, ab eo utique qui tentat. Absit enim, ut Dominus tentare videatur*. Ita brevissime Tertullianus. Unde præterea Cyprianus colligit, nihil contra nos adversarium posse, nisi Deus ante permiserit, *ut omnis timor noster, & devotio, atque observatio ad Deum convertatur; quando in tentationibus nostris nihil malo liceat, nisi potestas inde tribuatur*. Quæ petitio eo attentius Sacerdoti frequentanda, quod Dæmonis *astutiæ* (a) ad illos fortius impugnandos incumbant, qui ex officio cœlestibus divinisque addicti, singulari vinculo cum Deo copulantur: *cibus enim ejus electus* (b), quod pii vatis testimonium explicans Hieronymus

(a) *Ephes.* 6. (b) *Abacuc.* 1.

mus (*a*) ostendit, *quomodo devorato Iuda, ad cribraudos Apostolos*, eorumque successores *expetierit facultatem*.

In septima tandem petitione ponimus: *Sed libera nos a malo*. Quam varii varie exponunt: sed nemo plenius, meliusque Cypriano: *mali* enim nomine comprehendit adversa cuncta, quæ Diabolus, & Mundus contra nos moliuntur, *à quibus potest esse fida & firma tutela, si nos Deus liberet*. Atque hinc infert, quod quando dicimus: *Libera nos à malo, nihil remaneat, quod ultra adbuc debeat postulari*. Merito igitur petitionem hanc excipit clausula, quam Orationis Dominicæ signaculum vocat S. Hieronymus, videlicet *Amen*, qua optamus, ut ita fiat.

§. IV.

Libera nos quæsumus Domine &c.

POstquam Tertullianus Orationem Dominicam exposuit, more rursus suo, gravi nimirum, hæc subiungit (*b*): *Quoniam tamen Dominus prospector humanarum necessitatum seorsim post traditam orandi disciplinam, petite, inquit, & accipietis, & sunt, quæ petantur pro circumstantia cujusque: præmissa legitima & ordinaria oratio-*ne

(a) *S. Hieron. epist. ad Eustochium*.
(b) *De Orat. c. 9.*

ne quasi fundamento, accidentium jus est desideriorum, jus est superstruendi extrinsecus orationes; cum memoria tamen præceptorum, ne quantum à præceptis, tantum ab auribus Dei longe simus. Cujus veritatis Ecclesia memor finita oratione Dominica, aliam subiungit orationem, qua magis explicat ultimam petitionem prioris, videlicet, *ut liberemur ab omnibus malis, præteritis, præsentibus, & futuris*. Quæ explicatio aptissime congruit B. Cypriano, qui, ut ante vidimus, in eadem petitione, *mali* nomine mala universa intellexit.

Mala autem præterita hic non sumuntur, ut jam penitus sunt transacta; sic enim ad præterita non datur potentia, ac multo minus oratio: sed pro iis, quæ in sui causa, vel radice transierunt, in aliquibus tamen effectibus vel reliquiis manent, ut peccata semel actu commissa, in sui macula, vel obligatione ad pœnam, vel ad bonum imbellicitate. Similiter præsentia & futura, non ea formalitate accipienda, qua suam præsentiam vel futuritionem necessario secum ferunt: nam sic quoque nulla esset spes deprecandi: sed ut in aliquo periculo vel præsenti vel futuro nobis imminent, per Dei tamen clementiam averti queunt. Porro per *mala* intelliguntur tam mala culpæ, quam pœnæ,

ca-

cæteraque adversa, quæ Christianæ paci ac prosperitati repugnant, quam sub finem Orationis postulamus in hisce duobus positam, *ut à peccatis simus semper liberi, & ab omni perturbatione securi.*

Petimus autem hanc pacem *in diebus nostris*, per quos à pluribus intelligitur universum tempus militantis Ecclesiæ, quod à Christo hominibus concessum, ut in luce Evangelii operari, suamque salutem promovere possint, usque in diem extremi judicii: quæ, cum nobis adferat *noctem* (a), in qua amplius *operari* sive mereri non possumus, *dies Domini* antonomastice ab Apostolo (b) nominatur; quod in ea se palam omnium Dominum ostendet, reddendo unicuique juxta opera ejus. Possunt tamen *dies nostri* simplicius sumi; eo sensu, quo Ezechias (c) *in suis diebus* pacem exoptabat: ita ut Sacerdos pro eo solum tempore pacem petat, quo in Ecclesia vivent, quorum jam nomine Legatum agit. Preces enim tam Sacerdotis, quam Ecclesiæ, non nisi finitum valorem, & efficaciam habent: unde haud absque præsentium detrimento in quævis tempora quantumvis remota sese possunt extendere. Solorum Christi meritorum id privilegium est, ut propter valoris infinitatem, sine cu-

jus-

(a) *Ioan.* 9. (b) 1. *Cor.* 3. (c) 4. *Reg.* 20.

jusque damno cuncta sæcula ambiant. Nec sic minus Ecclesiæ in futurum consulitur: cum enim hoc sit juge Sacrificium, dum mundus steterit, perennaturum; si suis quique temporibus Sacerdotes prospexerint, semper Ecclesiæ prospectum erit.

Quamvis autem Christum Dominum Advocatum nostrum hic iam in altari præsentem habeamus, per cujus obtestationem omnes ad Patrem orationes concludimus: Sanctorum tamen suffragia non negligimus, quia scimus utrumque eo suos Amicos honore dignari, ut multa in illorum gratiam beneficia concedat, a quibus alioqui nostra nos indignitas repelleret. Ut vero faciendum graviter admonet Concilium Basileense (*a*), *inter omnes: qui cœlestem Regem pro nobis interpellant, præcipue ad gloriosissimam illam, & omni laude dignissimam Virginem Mariam recurrimus, quæ quanto altior existit, tanto humilius ad nos respicit, pro quibus in utero gestavit Salvatorem*. Tum verò post Apostolorum Principes, *S. Andream* invocamus, vel ob specialem D. Gregorii Magni (à quo hanc orationem ordinatam ferunt) erga hunc Apostolum devotionem; quam etiam Monasterio ad clivum Scavri constructo, eiusque nomine dedicato testatus est:

vel

(a) *Concil. Basil. Sess. 4. 5.*

vel quod primus vocatione inter Apostolos, Petrum ad Christum adduxerit, & sollemni confessione coram Ægea Proconsule, immaculati huius Agni, quem in altari quotidie immolabat, Sacrificium celebrarit.

§. V.

De hostiæ fractione, & commixtione.

INter verba consueta, quibus Sacerdos priorem orationem concludit, reverenter frangit hostiam. Cuius ritus cum diversæ adferantur causæ à D. Thoma (*a*), & aliis, hæc inter cæteras haud infimo loco ducenda: quod eo veluti novo emblemate exprimatur passio Christi, quam per aliud symbolum in Consecratione fuisse adumbratam, vidimus Cap. 4. sub initium. In passione enim, Christi Corpus variis modis sauciatum; ut flagellis in cute, spinis in capite, clavis in manibus & pedibus, lancea in latere. Quæ vulnera, cum per violentam continui divisionem facta fuerint, fractionis nomine aptissime denotantur. Favetque ipsa Scriptura, quæ apud Apostolum ad formulam Consecrationis panis, ubi vulgatus addit textus (*b*),

(a) *D. Th.* 3. *p. q.* 83. *a.* 5. *ad* 3.
(b) 1. *Cor.* 11.

quod pro vobis tradetur, ex Græco vertendum exhibet, *quod pro vobis frangitur*: plagis scilicet conciditur & laceratur, sumendo tempus præsens pro mox futuro. Unde etiam ex libro Sententiarum Prosperi Gratianus (*a*), *dum hostia frangitur, passio Christi ad memoriam redit*.

Fit autem fractio tres in partes, tum propter usum: tum propter mysterium. Usus olim ferebat, ut præter partem in Calicem dimissam, altera Communioni Saceordotis cederet, tertia in altari servaretur usque ad finem Missæ, tumque vel communicaturis serviret, vel reponeretur in Sacrario. Jam vero hæc tertia simul cum altera à Sacerdote consumitur: & nihilominus fractio retinetur, ut partes complicatæ commodius ac decentius sumi possint. Varii autem varia hic mysteria meditantur, atque inprimis divisionem corporis Mystici secundum diversos status: quam refert Sergius Papa Cap. *triformi*, de consecrat. dist. 2. sed forte cujuspiam pietatem juvabit permanere in Christi passione, & in tribus divisæ hostiæ partibus, tres præcipuas passionis partes considerare, Flagellationem, Coronationem, & Crucifixionem, quibus ut antea dictum, sacratissima Christi caro mirè concisa & divisa quodammodo fuit.

Ut

(a) *De Conf. dist. 2. Can. Cum frangitur.*

Ut porro hactenus duplici schemate Consecrationis & Fractionis, mors Christi & passio in memoriam revocata est: sic quoque ejusdem Resurrectio duplici cæremonia designatur. Prima est commixtio specierum panis cum speciebus vini, immissa particula hostiæ in Calicem: altera est duarum reliquarum conjunctio in patena. Per primam enim Sanguis in passione effusus Corpori quodammodo restituitur: per alteram partes vulneribus divisæ, rursus veluti uniuntur & coalescunt. Utrumque quod specie tenus hic geritur, reipsa in gloriosa Christi Resurrectione factum, ad eamque necessarium fuit. Accedit ad eandem Christi resurgentis scenam apprecatio pacis. *Pax Domini sit semper vobiscum*: quemadmodum Christus Discipulis post Resurrectionem apparens precabatur. De qua pace, cum plura dixerimus c. 3. §. 2. & 5. hic solummodo animadvertimus aptè aliquos ad triplex Crucis signum, quod Sacerdos inter priora verba cum particula hostiæ super Calicem format, triplicem pacem meditari: unam hominis cum Deo, quæ in ejus gratia, amicitiaque consistit: alteram hominis cum seipso, quæ eam importat rectæ rationis & appetitus concordiam, ut quod illa dictat, hic exequatur: tertiam ejusdem cum proximo suo, ut nulli præbeat causam justæ ali-

cujus offensæ, sed omnes potius Christianæ benevolentiæ officiis sibi devinciat.

Dum autem Sacerdos particulam hostiæ immittit in Calicem, sic precatur: *Hæc commixtio & consecratio Corporis & Sanguinis Domini &c.* Quibus verbis non significatur propria mixtio Corporis & Sanguinis secundum se, sed impropria ratione specierum: sicuti etiam non sui ratione, sed solarum specierum Corpus Domini dicitur frangi, juxta illud ex Officio Eucharistiæ: *Nulla rei fit scissura, signi tantum fit fractura*. Per consecrationem quoque nulla hic nova conversio, sive transubstantiatio denotatur, sed nova solummodo significatio sacramentalis, nimirum Resurrectionis Dominicæ, modo ante exposito. Fructus autem huius commixtionis & consecrationis adiicitur iis verbis, *fiat accipientibus nobis in vitam æternam:* ad quam licet ob meritum operantis ipsa etiam commixtio & consecratio conducat, si ex fide viva, tantique religione mysterii imperetur; præcipuè tamen dignè sumentibus prosunt res ipsæ sacratissimæ, quæ miscentur, ita Christo spondente (a): *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet* (quasi certa spe) *vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die*.

CA-

(a) *Ioan. 6.*

CAPUT VII.

De propinqua dispositione ad Communionem Sacerdotalem.

SAcerdotalem voco Comunionem, non hoc solum nomine, quod qui Sacerdos est, eam cbeat; sed quod id faciat ex ipso munere, ministerioque Sacerdotali. Ad illud enim spectat, non tantum offerre sacrificia, sed etiam consummare ac perficere. Quoddam autem præsentis Sacrificii complementum atque perfectio in Communione consistit. Ad perfectionem enim sacrificii pertinet, ut victima licet ante mactata, penitus consumatur; uti in holocaustis post combustionem fiebat: sic quippe plenius usibus humanis erepta, in solius Dei cultum ac gloriam cedit, multoque clarius summum eius in res omnes dominium ante oculos ponit. Porro Christus, qui per Consecrationis verba victimæ quasi mactatæ rationem accepit, iam in Communione quamdam holocausti imaginem induit: quando consumptis in stomacho speciebus panis & vini, haud aliter sub illis esse desinit, quam si igne combureretur. Admirabilis sane sapientia Dei, cui cum tantæ victimæ holocaustum placeret, nec tamen Unigeniti sui di-

gnitati, reverentiæque consultum videret, si eum in materialem ignem, non iam impii Iudæi, sed pie sacrificantes coniicerent: visum est alium illum inire modum, quo religiose consumeretur per modum cibi & potus; quique & nobis futurus esset utilior, & tanti honori Sacramenti magis congrueret. Quis hic non exclamet cum Propheta (a): *Confitemini Domino, & invocate nomen eius: notas facite in populis adinventiones eius?*

Ex quibus colligit Cardinalis Bellarminus (b) (à quo hanc cum holocausto analogiam didicimus) aliter in Missa communicare Sacerdotes, aliter laicos, vel ipsos etiam Sacerdotes extra Missam. In Missa enim communicant tamquam legitimi Ministri ad eam actionem à Christo ordinati: sed quivis extra Missam communicat ut privatus: in Missa potius habetur ratio consumptionis, quam simplicis sumptionis, magisque spectatur Sacrificium, quam cœna: extra Missam ad spiritualem tantum refectionem attenditur. Denique extra Missam solummodo participatur de altari: in communione vero sacerdotali actio, quæ per se altare exigat, exercetur.

Unde insuper monemur, quanto majori

(a) *Isa.* 12.

(b) *De Miss. l.* 1. *c.* 27.

ri religione & pietate communicandum sit Sacerdoti in Sacrificio, quam ipsi, vel alteri extra illud: quanto scilicet melius, accuratiusque obeunda actio, ad quam quis ex officio & consecratione tenetur, quam quæ privato fit: si præsertim ad decentem illius functionem liberalius stipendium à Principe accedat: quemadmodum hic fieri censendum, cum Sacerdos ex vi sui ordinis gratia singulari donetur, quæ haud minus ad perficiendum Sacrificium, quam primo conficiendum conducat. Quapropter operam dabit, ut non prophano, (quod absit) sed sacrosanctarum cogitationum & affectuum igne hoc holocaustum succendat: qui quo magis in eius meditatione exardescat, sequentes preces ab Ecclesia præscriptæ deservient.

§. I.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, &c.

Cum hactenus in Canone precationes omnes directæ fuerint ad Patrem, jam incipiunt converti ad Filium: neque enim tunc primum salutandus est tantus hospes, quando jam limen attigit aut subivit; sed obviam exeundum, ibique inchoanda officia. Quod faciens Sacerdos, prima veluti sa-

lutatione Christum dulcissimè compellat tamquam Agnum, sed rationalem, non ovium, verum Altissimi Filium, ideoque *Dei agnum* jam pridem à S. Præcursore (*a*) indigitatum: ejusque omne mundi scelus tollentis misericordiam & pacem oratione ter repetita implorat. Agni memoriam non Præcursor tantum, sed recens Christi immolatio tot olim agnorum sacrificiis adumbrata suggessit. Triplex repetitio aptissimè referetur ad triplicem Agnum, aut ejusdem potius triplicem statum: ut primò salutemus Christum quasi Agnum in pueritia amabilem: deinde ut Agnum patientem in Cruce: tertiò Agnum jam regnantem in cœlo.

Etenim infantes ac pueros ob ætatis teneritudinem, morumque innocentiam dici Agnos, præterquam quod diversorum idiomatum usus fuerat, testis est Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædagogi c. 5. in quo eruditè ostendit, omnes, qui in veritate versantur, apud Deum pueros esse, etiam ipsum Dei Verbum pro nobis hominem factum, ideoque à Præcursore dici Agnum, *quoniam Scriptura pueros ac infantes Agnos nominat*. Ad primam igitur obtestationem diviniſſimi huius Agni, consideremus eum ut Agnum parvulum & delicatum, vel Beatissimæ Matris sugentem ubera,

de-

(a) *Joan.* 1.

deque *ejus pane comedentem*, *&* *in ejus sinu dormientem* (*a*), vel etiam aliis dulcissimâ quadam humanitate sese communicantem: eique submississimo affectu supplicemus, ut nostri misereatur, reformando nos ad illam Agni imaginem, qua eam, quæ in pueris inest, simplicitatem atque innocentiam sectantes, ex eorum parvulorum numero simus, de quibus scriptum (*b*): *Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicuti parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.*

Christum vero in Cruce omnia tolerantem sine querela, quandam etiam induisse imaginem Agni, testis est luculentus Isaias Propheta (*c*): *Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi Agnus coram tondente se obmutescet.* In quem locum cum plurima, quæ Agno pariter & Christo patienti conveniant, collegerint Interpretes, summa eorum est: hoc symbolo adumbrari summam Christi in tantis cruciatibus patientiam, & mansuetudinem. Quas quoque virtutes poterimus humillime à Domino postulare jam secundo dicentes, *Miserere nobis.*

Christum denique in cœlo regnantem, describi Agni nomine & figura, patet ex Apocalypsi plurimis in locis, ubi

(a) 2. *Reg.* 12. (b) *Matth.* 18.
(c) *Isa.* 53.

Agnus apparet, qui sigillum aperit, qui impiis irascitur, cujus nuptiæ venerunt. Et quidem apparet *tanquam occisus* (*a*), quod non solum ratione Sacrificii cruenti semel oblati in Cruce; sed etiam incruenti, quod quotidie in Missa offertur, debere intelligi, Aureolus, Lyramus, Alcazar arbitrantur: valde apte & conformiter ad ea, quæ de hoc Sacrificio dicebamus c. 4. sub initium. Nisi malis cum Andrea Cæsariensi dici *quasi occisum*, quod in coelo servet vulnerum cicatrices, insignia occisi. Nihil autem accommodatius, quam ut Agno jam triumphanti, cui, quia occisus est, data est omnis potestas in cœlo & in terra, tam nostro, quam totius Ecclesiæ nomine supplices dicamus: *Dona nobis pacem*.

§. II.

De tribus sequentibus Orationibus.

IN prima pergit Sacerdos instare pro Ecclesiæ pace. Nec mirum, quod una alterave pacis imploratione non contentus, eam toties repetat: id enim fit ob præstantiam Pacis, quæ, ut vidimus c. 3. §. 2. omnia bona in se complectitur, ideoque post Dei gloriam non huius solummodo Sacrificii, sed ipsius etiam Incar-

(a) *Apocal.* 5.

carnationis, omniumque præteritorum Christi laborum ac passionum finis principalis extitit, sicuti ex Angelorum Cantico, c. 5. §. 5. notabamus. Accedit quod tantum hospitem excepturi, haud immerito de ejus loco solliciti sæpius simus: teste autem Scriptura (a) *factus est in pace locus ejus*, & alibi (b), *Pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit nobiscum*.

Sequitur oratio pro remissione peccatorum & dono perseverantiæ, quo Christus faciat *nos suis semper inhærere mandatis, & a se nunquam separari permittat*. Id enim, ut definit Tridentinum (c) aliunde haberi non potest, *nisi ab eo qui potens est, eum qui stat, statuere, ut perseveranter stet; & eum qui cadit, restituere*. Et quamvis magnum illud donum, *quod cum datum semel fuerit, amitti non potest*, infallibiliter obtinendum absoluta certitudine polliceri nunquam nobis possimus: supplicibus tamen precibus, ut Augustinus testatur (d), *emereri illud à Deo possumus*: utque prosequitur Tridentinum, in divino auxilio *spem semper firmissimam collocare*.

Cum in tertia oratione, quam pro integra mentis & corporis salute per hu-

 jus

(a) *Psal.* 75. (b) 2. *Cor.* 13.
(c) *Sess.* 6. *c.* 13.
(d) *Aug. de bono perf.* c. 6.

jus Sacramenti sumptionem consequenda fundimus, nihil peculiare exponendum occurrat: illud in priori haud sine animadversione prætereundum videtur, quod, ut à peccatis, eorumque pœnis liberemur, Christum obtestemur per hoc sacrosanctum Corpus & Sanguinem suum, ipsum lytron ac pretium nostræ redemptionis ante oculos ponentes. Quo nihil efficacius ad ejus misericordiam inclinandam. Amat utique, quos tanto pretio redemit, iisque, quos sic amat, suam deesse misericordiam non sinit. Legimus (*a*) mancipium quoddam ob sua scelera laqueo addictum, fuisse à Radzivilio liberatum, quod olim centum aureis illud redemisset: quid non speremus à Salvatore nostro, qui *non corruptibilibus, auro & argento nos redemit* (*b*), sed pretiosissimo Sanguine suo?

§. III.

De sumptione Corporis Christi.

SAcrificium habere se instar Convivii, quod mortales more nostro instruamus Deo, pro sua clementia ad eam nobiscum familiaritatem se demittenti, notum est iis, qui vel mediocriter

(a) *In Hierosf. peregr. Mense Sept.*
(b) *1. Pet. 1.*

ter sacras paginas tractarunt. Hinc enim Altare apud Prophetam (*a*), *Mensa Domini* dicitur, & in Levitico (*b*), victimæ *Panis* seu cibus *Dei*. Eandemque ob causam iis solis sacrificia constabant, quæ in mensis hominum essent in honore: cætera vero ut immunda proscribebantur. Sed quia Deus solo affectu nostro contentus, ferculis nostris non eget, ea creaturis remittit, & has sui veluti loco ad illa consumenda substituit, ut ignem in holocausto, vel etiam Sacerdotes, aliosque in pacificis aut expiatoriis victimis.

Sacerdos itaque, qui hactenus ex pane vinoque Eucharistico mensam Deo instruxit; nunc vicissim fit Dei conviva: maximi sane Principis, ut locum habeat monitum Sapientis (*c*): *Quando sederis, ut comedas cum Principe, diligenter attende, quæ apponuntur ante faciem tuam*. Idque dum facit, videt appositum *Panem*, non vulgarem, sed *cœlestem*, quippe qui cœlorum curiam pascat, plenaque beatitudine repleat. Hunc ergo manu capiens, & vivam in se excitans tanti mysterii fidem, non in externa hærentem specie, sed ad interiora velaminis pervadentem: *Panem* inquit, *cœlestem accipiam, & nomen Domini invocabo*:

G 7 cœ-

(a) *Malach.* 1. v. 7.
(b) *Levit.* 22. v. 25.
(c) *Proverb.* 23.

cœlorum terræque Domini, hinc haud longe dissiti, sed prope inter digitos sub ejusdem Panis velamentis contenti.

Invocat autem pii Centurionis verbis (*a*) *Domine non sum dignus, ut intres &c.* quibus infimi instar, tenuissimique hominis, qui magnum conspiciat Principem virum limen jam attingentem sui tugurii, demississime atque ex animo suam profitetur indignitatem. Cumque sciat nullo id Principis commodo, sed in sui tantum gratiam fieri beneficium, non detrectans modum excusat: quippe quod unico verbo, etiam ab absente, sine tantæ Majestatis abjectione conferri queat. Ter hæc verba repetuntur, ut interea magis expendatur magnitudo venientis, & cum nostra parvitate conferatur: illius Omnipotentia cum nostra imbecillitate: illius Sapientia cum incredibili nostra stultitia: illius Bonitas cum cordis nostri malitia: & sic magis tam dispari utriusque conditione obstupefacti, tanto cordatius dicamus: *Domine non sum dignus.*

Porro ad hæc verba Sacerdos manu ferit pectus, sive ad indignitatis suæ conscientiam testandam, sive ad se puniendum, quod accuratiorem in tanti Principis adventum præparationem neglexerit. Tum vero hostia se signat, deprecans ut Corpus Domini in æter-

nam

(a) *Matth.* 8.

nam vitam animum ipsius custodiat; ac se humiliter inclinans, cubitisque super altare positis (ut sic intra aram Sacrificium consummetur) ambas hostiæ partes ore excipit, & reverenter consumit.

Sumpta divina hostia, Sacerdos jungit manus, & quiescit aliquantulum in meditatione sanctissimi Sacramenti. Ita Ordo Romanus haud longiorem præscribens moram, ut imbecillitati humanæ consulat, & continuationi Missæ. Alioqui quid minus coram Dei Majestate, & tot beatorum Spirituum comitantium cœtu, hic à Sacerdote præstandum; quam quod olim vel in unius reverentiam Angeli factum ab utroque Tobia, quando illius persona & dignitate comperta, *prostrati per horas tres in faciem, benedixerunt Deum*? (a) Quid autem interea sit mente agitandum, quibus vivæ fidei, profundæ humilitatis, intimique amoris actibus vacandum, sua tunc quemque unctione spiritus docet. Ipse quoque cœlestis Panis vi quadam sua, pie sumentis mentem illuminat; haud aliter quam Jonathæ oculos gustatum mel (b). Ita Discipulis evenisse legimus, quando in Emaus castello, vel divinum hunc panem, ut pluribus Scripturæ Interpretibus placet, vel certè alium, qui illius imaginem gereret, ac-

(a) *Tob.* 12. (b) 1. *Reg.* 14.

acceperunt: *aperti enim sunt oculi eorum, & cognoverunt eum in fractione panis* (*a*). Sic & hodie religiose communicantibus oculi fidei panduntur, quibus Dominum agnoscant; nunc ut Regem super Sion constitutum, Redemptorem, Monarcham Orbis potentissimum: nunc ut Mediatorem, Sponsum, Advocatum, Pastorem, Doctorem, Sospitatorem; aliquando ut Lucem mundi, Viam, Veritatem & Vitam: aliquando aliis modis. Simul divino igne cor succenditur, ut illustrationi mentis affectus respondeat. Si Seraphico Doctori (*b*), uti par est, credimus, nullam refectionem spiritualem post Communionem sentire, *signum est spiritualis infirmitatis vel mortis: Ignem posuisti in sinu, & non sentis calorem; mel in ore, & non sentis dulcedinem?*

§. IV.

De sumptione Sanguinis Christi.

SAtis constat non posse nos Deo pares unquam gratias referre: non solum propter beneficiorum ejus magnitudinem; sed etiam quod exhibere se gratum pro beneficiis divinis sicuti novum virtutis est opus, ita novum Dei do-

(a) *Luc.* 24.
(b) *S. Bonav. de Prep. Miss. c.* 14.

donum beneficiumque existat. Cresc
igitur nomina apud Deum contra
dum ea conamur dissolvere, & ubi
neficiis acceptis respondere gratitudini
nitimur: hoc ipsum saltem præterimus
quod in ea voluntate, si recta, honesta
que fuerit, nobis Deus largitur. Quod
probe sciens Regius Vates, cum præclara beneficia in gentem Hebræorum à Deo collata commemorasset: *Confiteantur*, inquit (*a*), *Domino misericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum*. Vox *confiteantur* apud doctos Interpretes idem sonat, quod laudent, celebrent, gratias agant. Propheta igitur alium gratitudinis modum impossibilem agnoscens, Dei miserationes, beneficiaque invitat, ut ipsa pro se se gratiarum officium obeant, pro prioribus sequentia, pro veteribus nova, atque ea tandem, quæ postremo data sunt loco, pro seipsis eo munere perfungantur.

Huc respiciens Ecclesia, Sacerdoti, si unquam, jam sane quam maxime ad gratitudinem obligato, similem ejus modum præscribit: ut cum nesciat, quid pro pretiosissimo Christi Corpore, non solum in Sacrificium, sed etiam in cibum sibi dato, in gratiarum actionem Deo reddat, paris valoris offerat Sanguinem: hic verò cum aliud vicarium sui donum & æquale non habeat, ve-
luti

(*a*) *Psalm.* 106.

pro seipso confiteatur Deo, suoque ... infinitam ejus misericordiam ac ...atem commendans, majori eam cla... in cœlum, quam Abeli sanguis vindictam extollat. In quem sensum fa...ie aptabitur, quod interim ex hymno ...avidico à Sacerdote recitatur (*a*). *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.*

Additur versiculus ex alio Psalmo (*b*): *Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis salvus ero.* Cujus postrema parte explicatur singularis hujus Sanguinis virtus, qua dæmones cæterosque spiritales hostes procul fugat: non eo tantum nomine, quod sit Christi Sanguis, sed etiam quod partam in Cruce de iisdem victoriam, modo sæpius dicto repræsentet. Ita olim à Davide (*c*) prædictum: *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me*, & in Agni Pascalis Sanguine adumbratum, quo tinctos postes percussor Angelus prætcribat (*d*).

Simili tandem ritu, formulaque, quibus Christi Corpus, sumitur eius Sanguis: in unum iam Calicem collectus, qui per tot tamque acerba vulnera pro salute nostra in Passione profluxit. Rogare Deum poterit Sacerdos, ut cum hoc

(a) *Psal.* 115. (b) *Psal.* 17.
(c) *Psal.* 22. (d) *Exod.* 12.

hoc Sanguine potentissime in se influat divinus amor: ex quo suum quoque pro eiusdem honore aliquando fundat Sanguinem; aut alium certe Calicem, quem divina providentia miscuerit, quantumvis amarum, promptissime exhauriat.

Sequuntur duæ Orationes, quarum prima petitur, ut *quod* secundum species *ore* corporeo *sumimus*, *pura mente recipiamus*, quoad gratiam & alios spirituales effectus: altera ut dona accepta in nobis permaneant, & novum incrementum quotidie sumant. Idque *adhærendo* intimis animæ *visceribus* sive potentiis: nimirum sanctis semper cogitationibus illuminando intellectum, piis affectibus voluntatem accendendo, memoriam denique divinorum beneficiorum perenni recordatione occupando. Cumque hic finiatur Sacerdotalis Communio, Opusculo qu[illegible] præsenti finem impono, rogans Deu[illegible] oratione, quam post Communionem præscribit Ecclesia, Dominica tertia post Epiphaniam: *Ut quos tantis largitur uti mysteriis, affectibus nos eorum veraciter aptare dignetur.*



De postrema Missæ parte post Communionem.

COnſumpto Sacrificio, digitiſque ad Sacramenti, quod contigerunt, reverentiam ablutis, revertitur Sacerdos ad Altaris cornu, ubi Miſſam inchoavit: ut ſignificetur, Evangelicam Veritatem ad Iudæorum gentem, unde primum prodiit, ſub mundi finem redituram. Atque hic recitato verſu & Collecta una vel pluribus, Deum merito laudat pro beneficiis, quæ in ipſum & populum ex præſenti Sacrificio emanarunt. Tum Deo comite, quem conſueta ſalutatione *Dominus vobiſcum*, apprecatur, populum dimittit. Quod feſtivis diebus facit verbis expreſſis, dicendo: *Ite Miſſa eſt*, id eſt, Ite, dimiſſio conceditur. *Miſſa* enim, ſi vim vocis ſpectemus, idem ſignificat, quod *miſſio*, quemadmodum apud Tertullianum & Cyprianum *remiſſa* idem ſonat, quod *remiſſio*. Aliis vero diebus tacite id facit, loco prioris formulæ dicendo: *Benedicamus Domino*. Tandem ante medium Altaris inclinatus Sacrificium iam peractum Deo commendat, populoque dimiſſo benedictionem impertit.

Similem miſſionem legimus apud Gentiles uſurpatam per vocem *Ilicet*, hoc

hoc est, ite licet, quam Præco peractis sacrificiis acclamabat. Sed altiori mente Christiani in hisce ritibus ad Christum respiciunt; vel suis ultimo benedicentem & adscendentem in cœlum (*a*), vel in extremo Iudicio benedicturum electis, eosque in domum Patris sui ad æternas mansiones dimissurum (*b*).

Finita Missa recitatur *Initium Evangelii secundum Ioannem:* quod aureis teris conscribendum, & per omnes clesias in locis eminentissimis pr nendum esse, haud immerito censue gravissimi Authores, quos refert, citeque approbat D. Augustinus (*c* Nec quidquam Sacerdoti in hoc ar culo convenientius, quo (ut ex Medicorum iudicio verisimile fit) nondum perfecte consumptis speciebus, Dominum suum adhuc realiter præsentem in visceribus gestat. In prima enim Evangelii parte agnoscere potest, quantus sit Hospes, quem sub vilibus panis, vinique involucris latentem suscepit, nempe *Verbum* æternum Dei Patris, *per quod omnia facta sunt*, quod est fons omnis *vitæ*, quod est Mundi *Lux*. In altera parte opportune expendet infinitam eius Clementiam & Benignitatem, qua non in Mundum tantum, sed in ani-

(a) *Luc.* 22. (b) *Ioan.* 14.
(c) *L.* 10. *de Civit. c.* 29.

animam quoque suam venire haud dedignatur, ut eam vivificet, illuminet, donetque pe.estare *filium Dei fieri*. Videat tamen, num in se forsan habeat locum, quod de Mundo queritur Evangelista (a): *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit. In propria venit, & sui um non receperunt.* In ultimis denique ..ibis attendat, num pro *gloria Unige-i* talem Hospitem tractet, eaque co- ·ione ab Altari discedens, Deum t, ut in se quoque impleatur, quod ,dem Capite ab Evangelista subii- :, *de plenitudine ejus nos omnes ac- vimus*: studeatque ex hac plenitudi- ; tum alias semper, tum præsertim ı.ı recollectione post Missam ubertim haurire.

Monitio ad Lectorem.

DIscrete Lector, de prudentia tua confido, haud fore, ut perlecto hoc Libello, in primo statim Sacrificio omnium meminisse, eaque ad praxim revocare contendas. Sic enim non colligeres attentionem, sed confunderes: nec pietatem nutrires, sed suffocares. Paulatim & per partes eundum. Hodie ante sacrificandum ex uno Capite unum alterumve paragraphum expende, eique men-

(a) *Ioan. I.*

mentem & affectum accommoda: eu. dem cras & perendie repete, donec cur & studium in consuetudinem transeat Tum vero simili modo ad sequentes pro cede; sic enim fiet, ut nulla tandem div nissimi hujus Officii pars sua pietate c reat: quæ tamen nec tibi molestiam neque iis, quæ tunc dicenda agend que occurrunt, ullam remoram cre Nihil humana mente facilius, nihil su tilius circa ea, quibus assuevit: in ict oculi in quamvis se insinuat negotioru molem, suamque circa corpora substa tiam imitata, sine ullo obice sensuqu pervadit.

Nolim præterea, ut, si aliis considerationibus piis affectibusque assueveris, in Libelli hujus gratiam quidpiam immutes. Tua forte sunt meliora in eodem contentis: utque in paucis concedant, quod in legibus monent Jurisperiti (*a*), *evidentem esse utilitatem debere ut recedatur ab eo jure, quod diu æquum visum est*, idem in moribus servandum. Ut enim prudenter Augustinus (*b*). *Consuetudinis mutatio, quamvis utilitate adjuvet, novitate tamen perturbat*. Ad illos ergo præcipuè hoc Opusculum dirigitur, qui vel recenter Sacerdotio initiantur, vel nondum certam aliquam rationem interius illud ac spirituale Sacri-

(a) *L.* 2. *ff. de Const.*
(b) *Aug. ep.* 118.

ificium cum exteriori conjungendi iiverunt.

Quin etiam hos ipsos nolim adeò in ræsentibus acquiescere, ut ulterius non deant, aliorum lectione vel propria editatione proficere. Absit enim, ut evotionis tanto Sacrificio debitæ summ me attigisse existimem: vix miam ejus particulam delibavi. Exem- solum dedi piorum quorumdam conptuum & affectuum: quæ, ut est in overbio, suam regulam non adæquant. enique sicubi imprudens à veritate aerravero, quicumque es Lector, errorem doce: lubentissime corrigam, meque tuum discipulum perpetuo devinctissimum profitebor.

FINIS.

INDEX

ER-

Pag.	lin.	ERRATA	CORRIGENDA.
[illegible]	21.	mancipiet	mancipet
26.	8.	usuiveniunt	usuveniunt
28.	16.	aptesti	aptasti
29.	5.	phantasmatis	phantasmatibus
38.	1.	reflectes	reflectens
39.	27.	quantili	quantilli
58.	11.	in sæpius	id sæpius
92.	10.	ed ejus dignitatem	ad eius dignitatem
128.	13.	*post* accidentali	*adde* cum vita, seu anima